H. Eccl. 4°
642
y


C T
Bibliotheca Palatina

4° H. Eccl. 642 7 in 4.to Quirinus

V. 2031

DE GESTIS
PAULI III. FARNESII
Primo ejus Pontificatus Quinquennio.

BRIXIAE
Excudebat JOANNES-MARIA RIZZARDI.
CIↃIↃCCXLV.
SUPERIORUM APPROBATIONE.

Primo cius Pontificatus Quindecimo.

PAULI III. FARNESII
DE CESTIS

BAYERISCHE
STAATS-
BIBLIOTHEK
MÜNCHEN

IMAGO

OPTIMI SAPIENTISSIMIQUE PONTIFICIS

EXPRESSA IN GESTIS

PAULI III. FARNESII

AD PRIMOS TANTUM QUINQUE ANNOS

EJUS PONTIFICATUS SPECTANTIBUS

Quos nimirum exhibent Monumenta in primo & altero
CARDINALIS REGINALDI POLI
Epiſtolarum Collectionis Volumine
comprehenſa.



BRIXIAE
Excudebat JOANNES-MARIA RIZZARDI.
CIↃ IↃ CC XLV.
SUPERIORUM APPROBATIONE.



BIBLIOTECA
PONTIFICIA
ATENEO
SALESIANO

BAYERISCHE
STAATS-
BIBLIOTHEK
M

SERENISSIMO LUDOVICO INFANTI REGIO HISPANIARUM

S. R. E.

CARDINALI DIACONO

ANGELUS MARIA QUIRINUS
S. R. E. CARDIN. BIBLIOTHECARIUS

FELICITATEM.

INter præclarissima inclytæ FARNESIÆ *propaginis decora illud certe recensendum, quod ipsi acceptos refert Sedes Apostolica, dum maximis cum universa Ecclesia procellis undique jactaretur, primo sapientissimum,*

&

& *nunquam ſatis laudatum Rectorem* PAULUM III. *deinde binos ampliſſimos Cardinales, hujus Nepotes, Alexandrum, & Raynutium, tenera quidem admodum ætate ad eum honorem evectos, at ea indole, eo ingenio, iis ſtudiis, ac moribus perornatos, ut illico ad laudes, & gratulationes ipſis deferendas graviſſimi, integerrimique eorundem Collegæ accurrere non dubitaverint. Hæc dum dixero, nemo eſt qui non videat,* SERENISSIME LUDOVICE, *libellum hunc meum non aliis quam Regiis Tuis auſpiciis evulgandum fuiſſe, quippe qui genus alto a ſanguine* BORBONIDUM *ducens, utrumque præterea, & ſtirpis* FARNESIÆ, *& Romanæ Purpuræ ornamentum conjunctum tenes. Convenit inſuper ætas Tua præſens cum illa, qua præſtantiſſimum* FARNESIORUM *Cardinalium par ab* AVO SANCTISSIMO *adhibitum fuiſſe comperitur*

ad

ad graviora Romanæ Eccleſiæ negotia; ſiquidem octodecim tantum annos natus Alexander, Apoſtolicæ Legationis munus in Hiſpania geſſit ad Carolum V. Cæſarem, poſt obitum ejus Conjugis Iſabellæ, indeque Romam vix redux, iterum eo ipſo anno, paribus inſignibus decoratus ad eundem Carolum Cæſarem in Belgium, & in Galliam ad Regem Franciſcum commeavit. At multo illuſtrior, quam ſanguinis, quam Purpuræ, quam ætatis inter Te, & Pontificios illos Alumnos ex iis virtutibus profecta congruentia, quibus una, & conſtans omnium fama mirifice Te præditum eſſe teſtatur, quarumque floreſcentem in ætate viridi imaginem in Alexandro, ex Hiſpanica illa Legatione redeunte, ſe coram Avenione ſuſpexiſſe profeſſus eſt in literis ad eundem ſcriptis Jacobus Sadoletus, Epiſcopus Carpen-

to-

toractenſis. Religio vero, quæ omnium omnino illarum maxima judicanda eſt, quanta Tibi inſit, apertiſſimum præbet documentum cura illa ſingularis, quam nuperrime ſuſcepiſti, ut Joannis Avilæ, Bæticæ Apoſtoli, in ſacros faſtos Sedis Apoſtolicæ auctoritate nomen referatur. Quæ ipſa cura novo quodam jure Opellam hanc meam Tibi vindicat; prodromus ſiquidem iſta eſt Voluminis hoc ipſo anno, Deo juvante, in lucem a me proferendi. Iſtud Reginaldi Poli S.R.E. Cardinalis, Regio ſanguine procreati, Epiſtolas complectitur; harum autem plures ea referunt, quæ ipſe in Hiſpanica Aula peregit, Pontificii ad Carolum Cæſarem Ablegati officio fungens, paucis tantum menſibus antequam FARNESIUS *Cardinalis eandem adiret. Quoniam vero eo ipſo tempore, in iiſdem partibus ſuum illud Avila miniſterium obi-*

bat,

bat, Polo minime ignotos fuiſſe oportet ſanctos hujus labores, imo non abs re erit arbitrari, eundem horum exemplo magis magiſque exſtimulatum fuiſſe ad Dei cauſam, pro qua egregie jam deſudabat, vel ipſo vitæ ſuæ impendio tuendam.

Quoquo igitur me verto, omnia me invitant, ut Regiæ tuæ tutelæ meam hanc Lucubrationem committam, fretus ad ipſius præſidium nihil defuturum; ſiquidem quam ſpem, & expectationem tuæ præſtantis, eximiæque virtutis, tuæque futuræ ſummæ amplitudinis excitaſti, eam præclare ſemper agendo, & virtuti, ac veræ dignitati ſerviendo, tueri, augere, confirmareque non deſinas. Hiſce propemodum verbis hortatus eſt olim Sadoletus, jam Cardinalis, Guidonem Aſcanium Sfortiam, Nepotem & ipſum PAULI III. *ſacroque & ipſum Se-*

natui

natui accenſitium; at ego ea ipſa, ut feci, uſurpans, impudentiſſimus forem, ſi aliam mihi perſonam ſumerem, quam præclara quæque de Regia Tua Amplitudine ſperantis, ac pollicentis. Ut autem de eadem grandiora in dies ſpe, atque animo cogitem, illud etiam facit, quod certo confidam, illuſtria Farnesiæ *virtutis exempla, hic oculis Tuis propoſita, ſatis idonea fore, quæ mentem Tuam ad eorundem imitationem rapiant; unde exorietur, præclare olim dictum a Carolo Cæſare, poſtquam compertas habuiſſet Cardinalis Alexandri* Farnesii *dotes*, Collegium Cardinalium ſi ex talibus Viris conſtat, profecto Senatus ſimilis nuſquam gentium reperietur, *multo nunc veriſſime, eo Senatu Regiis Tuis & natalibus, & moribus inſignito, poſſe prædicari.*

AD LECTOREM.

EX ſuſcepto in Reginaldi Poli Epiſtolarum parte prima evulganda conſilio, alteri etiam, quæ in lucem quam primum exibit, Prodromum adornare conſtituens, huic rei Opuſculum iſtud de PAULI III. Geſtis, intra primos quinque Ejus Pontificatus annos concluſis, quos nimirum unice ambæ illæ partes ſimul junctæ complectuntur, deſtinavi. Ut primo oculos tuos in ipſum conjeceris, benevole Lector, ſtatim agnoſces, nihil mihi antiquius in eodem elucubrando fuiſſe, quam ut, in propatulo poſita tanti Pontificis incredibili bonitate atque ſapientia, nemo foret, cui ſtatim non conſtaret, perperam prorſus Heterodoxos, quo ſuam a Catholicorum cœtu ſeceſſionem tueantur, omnem lapidem movere, ut Pontificis, quo ſedente altas illa radices egit, nomen ac facta atris coloribus exprimant. Pars quidem prima meo huic ſcopo pauca tantum ſuppeditavit, quod tota fere verſata ſit in deſcribendis humaniorum literarum ſtudiis, quæ Reginaldus Polus in Veneta ditione excoluit; at pars altera enarrat binas Legationes ab eodem, jam Cardinali, pro graviſſimis religionis negotiis obitas, ſcilicet Belgicam, & Hiſpanienſem, in quibus ſeu demandandis, ſeu moderandis PAULUS III. palam oſtendit, ſibi maxime cordi fuiſſe Chriſtianæ Reip. bonum, atque iſti procurando egregios miniſtros ſibi delegiſſe, quotquot nempe ipſe in ampliſſimum Cardinalium Collegium cooptavit, quorum proinde præclaris ſtudiis non obſiſtere & obſtare, ſed ſuppetias ferre opus erat ſinceros boni illius amatores, cujuſcemodi laudem ad Heterodoxos ea tempeſtate minime ſpectaſſe, vel ipſimet ſua illa ſeceſſione demonſtrarunt.

Unum tantum hic addam; optimi, ſapientiſſimique Pontificis imaginem, quam hoc Opuſculo delineavi, eam fuiſſe, qualem depoſcebant tempora, in quæ incidit PAULI III. Pontificatus, noſtra autem tempora nacta eſſe Pontificem, cujus egregiæ dotes, videlicet ingenii præſtantia, mentis acies, dicendi, ſcribendique copia, naturæ bonitas, morum facilitas, in audiendis omnibus hominibus manſuetudo, in expediendis negotiis, præſertim ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ redintegrationem ſpectantibus, celeritas, hæ, inquam, & aliæ præterea Ejuſdem dotes efficiunt, ut potius quam nos præteritis ſæculis invideamus, nobis invidere debeant futura, ſcilicet, quod earum memoriam nulla unquam obliteratura ſit ætas. Vale.

ELENCHUS CAPITUM
HUJUS LIBELLI.

CAPUT I.

De PAULI III. *in optimis literis, Græcis, Latinisque præstantia.* pag. 1.

CAPUT II.

De PAULI III. *studio in derivandis ex privato familiæ suæ commodo publicis utilitatibus.* pag. 11.

CAPUT III.

De PAULI III. *æquitate, & prudentia in Anglicani Schismatis per Henricum VIII. invecti negotio.* pag. 33.

CAPUT IV.

De PAULI III. *curis pro Ecclesiæ reformatione, Concilii Oecumenici convocatione, concordia Principum Christianorum, horum fœdere adversus Turcas, deque itineribus ob eas ipsas causas, ætate admodum senecta, ab eodem susceptis.* pag. 53.

CAPUT V.

De PAULI III. *industria in S. R. E. Cardinalium delectu, & in adhibendis inter ipsos ætate, ac virtute provectioribus ad Legationes ultra montes pro gravissimis Ecclesiæ negotiis.* pag. 78.

CAPUT VI.

De PAULI III. *benignitate in excipiendis S. R E. Cardinalium seu precibus, seu consiliis.* pag. 89.

APPENDIX ex Oratione Romuli Amasæi habita in funere PAULI III. pag. 102.

CA-

CAPUT I.

De Pauli *III. in optimis literis, Græcis, Latiniſque præſtantia.*

NEmo prorſus erit qui inficietur veriſſimum eſſe quod ſæpe dictum eſt, & quotidie dicitur, *Talem quemque fieri hominem, quales ſunt res, & qualia ſtudia, quibus ille delectatur*. Itaque de Pauli III. Pont. O. M. Geſtis acturus, primo loco de ſtudiis dicam, oportet, quibus ille vacavit, oſtendamque hujuſcemodi fuiſſe, quibus decebat ejus mentem imbui, & informari, qui omnium hominum princeps dignitate futurus, ipſis quoque ſapientia antecelleret. Honor quidem magnus ea pariter ætate in Romana Curia habebatur Juriſconſultorum diſciplinæ; at longe major Theologicis rebus, quod multo aptiores iſtæ, quam illa, putarentur ad eam animi magnitudinem parandam, quæ idoneum hominem efficiat, ut ſe ipſum juſtitia, temperantiaque exornet, deinde ut ceteros conſilio, & prudentia ſua regat. Hæc ipſa habet, utriuſque illius diſciplinæ comparationem inſtituens, præſtantiſſimus Cardinalis Sadoletus in Epiſtola ad Cardinalem Raynutium Farneſium, affirmatque ibi, nihil

ab Juris ſcientia magnum, præclarumque exiſtere, niſi cum liberalioribus ſtudiis conjungatur, ſine quibus vix amplum quippiam, aut magnificum concipere quis poſſit: *Et ſunt tamen* (ait ille) *ex numero Juriſconſultorum clari aliqui & præſtantes viri, quales in Senatu noſtro non paucos cernimus, aptos ad populos civitateſque regendas; verum illi bonitate ingenii, & naturæ præſtantia, non Juris Civilis ſtudio, tales effecti ſunt, præſertim ſi ad legum ſcientiam, id quod plerique eorum fecerunt, optimarum quoque artium cognitionem addidere.* Ita in ea Epiſtola Sadoletus, ut Raynutium moneret, ne facile crederet, PAULUM Pontificem, ejus Avum, ipſi auctorem eſſe poſſe (qua de re novus quidam hominum ſermo percrebuerat) ut relictis eximiis illis artibus, & præclaris ſtudiis, in quibus, conſentiente omnium fama, noctes, & dies aſſidue verſabatur, ad Jus Civile perdiſcendum ſe dederet; at crederet potius, Pontificem ita loquutum fuiſſe (quoties certe de eo ſermone conſtaret) non imperantis modo, ſed veluti tentantis, ut eliceret ſenſum animi Nepotis ſui. Addere Sadoletus potuiſſet, interpretationem hanc ſuam certam reddi ex ſtudiis, quæ ipſe Pontifex excoluerat, & quibus teſtimonium perhibet in alia Epiſtola ad eum Pontificem data, profeſſus, ſe plurimi ſemper feciſſe, ac facere *bonarum artium om-*

omnium, literarumque egregiam ſcientiam, qua ille pollebat. Hæc plurimis aliis excellentiſſimis virtutibus adjuncta, effecit, ut Pontificatus honor, quo ipſo die ſacer Senatus intra ſepta ſe receperat, ei delatus fuerit, *ſine mora* (verba ſunt Sadoleti in ea Epiſtola PAULUM alloquentis) *contradicente nemine, omnibus ſuffragiis, ut renuntiatio indicium fecerit dignitatis, ipſa vero celeritas renuntiandi aperte oſtenderit, tantam, tamque eximiam virtutem, quanta in Te ſemper fuit, ad tantos motus rerum, quibus jactatur Reſpublica, ſedandos, & ad ſalutarem portum conſiliis ſapientibus dirigendos, quam primum, & quam maxime neceſſariam eſſe*. Videamus ergo quænam fuerint egregia ea ſtudia, quæ PAULUS III. adamavit.

Principem inter ea locum obtinuiſſe Eccleſiaſticorum Syntagmatum lectionem, ſat aperte docemur ex cura, quam ille cepit, ut Græcum Codicem Demonſtrationis Evangelicæ (cujus author Euſebius Cæſarienſis) utendum, fruendumque acciperet ex Bibliotheca Principis Mirandulani. Rem ita narrat Donatus Veronenſis in Epiſtola, qua Operis illius a ſe confectam in Latinum idioma verſionem PAULO III. dicavit: *Porro id Opus Gibertus, quum diu, multumque cogitaſſet, Latinum, potius, quam Græcum edi oportere decrevit, quod ex illius Latina editione multo plures, quam ex*

Græca, utilitatem capturos videbat; quanquam alia quoque de causa sperabat, eosdem libros Tibi non fore ingratos, quum memoria teneret, Te illorum Græcum exemplar, quod unum in Italia penes Joannem Franciscum Mirandulensem Principem extaret (virum cujus in omni genere literarum, omnibusque magnarum artium disciplinis, industria, atque excellentia nunquam satis prædicabitur) omni studio & habendum, & legendum curasse, idemque summopere laudare consuevisse. Et paulo post: *Maximum laborum meorum fructum mihi percepisse videbor, si, quum huic Giberto, patrono meo, Tuæque Sanctitatis humillimo clienti, obtemperavero, ipsum Opus a me Latinum factum Tibi non displicuisse cognovero; quum enim Sanctitas Tua illud, propria Græcorum lingua exaratum, diligentissime olim legerit, quod ego id recte interpretatus sim, multo facilius judicare poterit.* Græcarum literarum amor, qui PAULUM Pontificem impulit, ut ex Mirandulensi Bibliotheca habendum curaret Eusebii Codicem, is ipse effecit, ut satageret, domesticam suam Bibliothecam ejusce generis gazis abundare. Quare Aloysius Lippomanus, Episcopus Metonensis, & Coadjutor Veronensis, eidem nuncupans Catenam suam in Genesin, his verbis ipsum affatur: *Plurimum Sanctitati Tuæ nos debere fatemur, quod vetustissimos Græ-*

cos

cos Codices, & nunquam typis excuſos ex celeberrima illa Tua Bibliotheca nobis benigne ſubminiſtraſti, ex qua non pauca, eaque recondita in hoc volumen ingeſſimus.

Præterea Philoſophicarum rerum, quæ ad Aſtrorum ſcientiam præſertim ſpectarent, PAULUM Pontificem cupidiſſimum fuiſſe, certos nos facit Hieronymus Fracaſtorius, ei nuncupans lucubrationem ſuam de Homocentricis, atque in ejus Proœmio ita loquens: *Quum vero a Sanctiſſimorum Tuorum pedum deoſculatione ad nos reverſus eſſet Jo: Matthæus Gibertus, Epiſcopus, ego illi quaſi fructus nuntiaturus ejus otii, quod ipſe peperiſſet mihi, dixi, negotium de Stellis perfeciſſe me, ac ſub ejus auſpicio, dedicationeque, ſi ita ſibi videretur, editurum. Qui quum mihi gratulatus fuiſſet: Minime, inquit, ſub noſtro, ſed ſub majore auſpicio edes. Meum enim ſi eſt hoc munus, placet ut novo Pontifici novum dicetur Opus; quod cœli, ac ſyderum contemplationem complectatur, quorum ille claves, atque imperium gerit. Gratiſſimum enim illi futurum puto, regno ſuo audire decus, dignitatemque ſuam eſſe reſtitutam; præſertim quod is poſt Religionis, & Chriſtianæ Reip. curas nullo alio magis tenetur ſtudio, quam totius Philoſophiæ, præcipue illius, quæ circa ſydera, & cœleſtes orbes verſatur.* Deinde addit: *Quod ſi*

& ea quoque te tenebit tum digna, tum neceſſaria cura, quæ Julium Cæſarem Pontificem Maximum habuit, reformandi anni, & ſolaris curſus ad vera æquinoctia reducendi, ſuccurrendique lapſis cyclis, hinc Te non invitabunt modo, ſed & apertiſſimam viam oſtendent ſydera, quibuſcum magna quædam eſſe Tibi cognatio videtur. Inſuper nec Poetarum, tam Latinorum, quam Græcorum cultum PAULO defuiſſe, teſtatur M. Antonius Flaminius in Præfatione, qua Explanationes ſuas in duos & triginta pſalmos eidem Pontifici nuncupavit: *Quum ſuperiore anno* (inquit) *explanationem meam in duodecimum librum Ariſtotelis de prima Philoſophia ad Te miſiſſem, eum Tu librum & tam cupide legiſti, & eo laudum genere ornaſti, ut facile omnes intelligerent, meas literas, & lucubrationes Tibi non injucundas eſſe. Huc accedit, quod, ut cæteris omnibus ingenuis artibus a puero ſemper ſtuduiſti, ita Poetas Græcos, & Latinos maxima diligentia perlegiſti, quippe qui non ignorares, hoc literarum genus non a ſummis Philoſophis modo, ſed a noſtris etiam Theologis, & illis quidem graviſſimis, ſemper cultum, celebratumque fuiſſe.*

In univerſum Græcas, Latinaſque literas PAULUM conjunxiſſe, fidem etiam facit præſtantiſſimus ea ætate humanioris literaturæ in Bononienſi Aca-

de-

demia Profeſſor, Romulus Amaſeus, quippe qui in Oratione, quam inſcripſit de PAULI III. Pont. Max. erga literatos homines beneficentiæ ſpe, ejus Pontificis literaturam his verbis extollit: *Qui cum ſuo ſtudio, tum doctorum perpetua adjutus conſuetudine, tantum e Græcis, Latiniſque dicendi, atque intelligendi fontibus hauſit, ut ei cunctorum hominum conſenſus non magis ob generis claritatem, & cum fortunis conjunctam virtutem, quam optimarum artium cognitionem, inter Collegas ſuos principem locum tribuerit. Quem igitur unquam de honeſtis ſtudiis, boniſque literis bene meriturum ſperemus, ſi hic non unus, pluſquam cæteri ſimul omnes, quos paulo ante nominavi, de veſtris commodis, atque ornamentis cogitarit? Si non magnam curarum ſuarum partem ad eas artes, quibus ab ineunte ætate ipſe deditus fuit, decorandas, & honeſtandas tranſtulerit?* Pariter ejus ſtudia magni feciſſe comperitur Petrus Bembus, qui in Epiſtola ad eundem Pontif. Familiar. lib. VI. affirmans, inter antiquorum Regum, & clarorum Imperatorum res pace geſtas, pulcherrimam humano generi, & naturæ propriam, maximeque ſalutarem ſibi ſemper eam viſam eſſe, qua illi ſuum ſtudium ad bonas artes fovendas, atque illuſtrandas tranſtulerunt, mox ſubdit: *Quo ex fonte quantæ, quamque illuſtres in hominum con-*

ven-

ventus utilitates, & jucunditates permanarint, nemo Te melius intelligit, cujus præstans, & excellens in Latinorum, & Græcorum literis eruditio, omnes qui huic se rei dediderunt, in eam spem adduxit, ut per Te celeriter magnum incrementum sumptura bona studia existiment; imo vero non dubitavit pronunciare, eundem ita omnibus politioribus literis, & doctrinis fuisse perornatum, ut in iis *multo doctior, quam Leo X. habitus fuerit*. Ita ille PAULO III. nuncupans Epistolas a se nomine Leonis X. conscriptas; idemque quatenus sibi fas esse putaverit Leoni PAULUM anteponere, testatum reliquit in Epistola ad Franciscum Molsam. Tandem Ludovicus Sensus (cujus testimoniis in Diatriba sæpius usus sum, quod Scriptor ille, etti synchronus, nec Ciacconio, nec Raynaldo, nec aliis, quotquot de PAULI III. Gestis disseruerunt, innotuisse videatur) in postrema ex quinque Concionibus, quas, id muneris sibi Ascanio Parisiano Cardinali Legato demandante, ad Perusinos Cives habuit, de multijuga PAULI literatura ita scribit: *Quem igitur majore prudentia, quam Divus PAULUS III. fuisse, aut potuisse esse unquam dicemus? Qui cæleſti, ac divina quadam mente, & intellectu, natura præditus, prima pueritia ad optimarum literarum studia deductus, summa cum laude, & prope stupore omnium in illis semper versatus est; quem post exacte com-*

pa-

paratam Romanæ, & Græcæ linguæ ſcientiam, poſt emenſum liberalium artium orbem, poſt luſtratas omnes omnium ætatum Hiſtorias, ex naturalium rerum cognitione ad ſacrorum doctrinam gradum feciſſe, & denique divinarum, humanarumque ſcientiarum, & omnium pulcherrimarum artium prodiiſſe dicunt eruditiſſimum.

Quam inſignis autem fuerit ejus Pontificis in literas, literatoſque munificentia, eum ipſum Scriptorem teſtantem audiamus: *Huic ipſe* (loquitur de Franciſco, juvene Peruſino, cui cognomentum Platonis ex virtute ipſa acceſſerat) *alioqui ſibi incognito, commendatione Gaſparis Contareni Card. ne præſtans ingenium rei domeſticæ anguſtia opprimeretur, olim ſingulis annis HS M.CC. hoc vero anno M. M. M. D. C. pendi conſtituit.* Additque: *Teſtes ſunt omnes filii veſtri, Cives, omnes Urbis hujus adoleſcentes, qui ſe ſe ad ſtudia literarum applicuerunt, applicabuntque uſque per omne ævum. Quibus, ut majore alacritate navarent operam, quotannis HS amplius M. M. M. M. D. CCC. inter eos, ſimul ac doctores evaſerint, diſtribuendos indulſit. Teſtes denique omnes juris conſulti, & omnes medici, quorum annua ſtipendia in omnes ætates futuras, HS quatuor millibus aucta voluit. Cujuſmodi dona, Cives, ante hunc, nullius Pontificis in hoc literatorum*

gymnaſium meminiſtis. Quemcumque vero perfectum, & abſolutum doctrina, ac ſapientia eſſe intelligit, ex omnibus terrarum oris ad ſe ſe accerſit, in familiaritatem ſuam admittit, cenſibus explet, & honoribus aliis quidem alios, ſed ſpe majoribus omnes ornat; nonnullos vero ſupremis illis, quibus vix majus aliquid animo, ac deſiderio capere mortales homines poſſunt.

Faceſſant nunc quotquot de PAULI III. ſtudiis loquentes, ipſum Aſtrologiæ, quam Judiciariam vocant, unice deditum fuiſſe calumniantur. Eam labem a ſapientiſſimo illo Pontifice pro virili amoliri conatus ſum in Diatriba mea altera §. I. præſertim adverſus Cl. Schelhornium, qui Amœnit. Hiſtor. Eccleſ. & Liter. T. II. p. 464. vulgatum a Cardano de PAULO III. thema Genethliacum pro germano nobis obtrudens, fidem, quam criminatur ab eo Pontifice figmentis illis præſtitam fuiſſe, eam iisdem ſe præſtare imprudens demonſtrat; imprudens, inquam, nam idem eodem Tom. p. 609. diſerte temeritatis damnat quotquot eorum thematum ineptias venditant, non Melanchtoni ſuo, non aliis ex hujus grege parcens; quibus tamen non erat cur obſtreperet, ſiquidem thema illud, cui eventa ferme adamuſſim reſpondiſſe comperiuntur, ante ipſa, non poſtea conflatum fuiſſe, volens & libens admittat.

CA-

CAPUT II.

De PAULI *III. ſtudio in derivandis ex privato familiæ ſuæ commodo publicis utilitatibus.*

NIHIL notius, quam procurata a PAULO familiæ ſuæ commoda, & ornamenta obtrectatorum ſermonibus locum & modo præbere, & olim præbuiſſe, eoſque acriter contendere, nimium in eandem ſtudium vel ipſa ejus Principatus primordia commaculaſſe, quippe qui vix elapſis ab eo inito duobus menſibus ad ampliſſimum Cardinalatus Ordinem binos Nepotes evexit, licet admodum adoleſcentes, nimirum Alexandrum Farneſium, & Guidonem Aſcanium Sfortiam, quibus, poſt decem circiter annos, tertium, viridi etiam ætate, Nepotem ſuum adjunxit, ſcilicet Raynutium Farneſium. Nil igitur mirum, ſi PAULI nomen ea de cauſa in invidiam vocare non eſt veritus Paulus Sarpius in Hiſtor. Conc. Trid. at victas huic quodammodo manus dediſſe Card. Pallavicinum, id certe haud mediocrem admirationem promeretur. Hæc ipſius ſunt verba Hiſt. Conc. Trid. lib. III. cap. XVII. *Non perche* PAOLO *III. ſi laſciò trarre ad un eccesſo di tenerezza verſo il ſuo ſangue, togliesi che non foſſe nel reſto zelator della Religione, ſecondo che appare da tutto il corſo del ſuo Pontificato. Si come da un*

atto virtuoſo non ben s'inferiſcono tutte le virtù, così da un atto diffettuoſo non ben s'eſcludono tutte. E quel diffetto di PAOLO *è cotanto umano, che non ſi noteria per diffetto in verun altro Principato, che non habbia del ſoprumano.* Hujuſmodi tamen vindicias, etſi tenues, & leves ad inuſtam Pontifici labem amoliendam, immodicas reputans Petrus Franciſcus Curayerus, recens Sarpii Hiſtoriæ, quam in Gallicum idioma convertit, interpres, & vindex, in Pallavicinum inſurgit aſpere prorſus, in hunc modum: *Ce fut le* 18. *Décembre* 1534. *deux mois aprés ſon election, qu' il fit cette promotion, que le Cardinal* Pallavicin *tâche d' excuſer comme il peut, c' eſt a dire aſſez mal, en diſant qu' un tel excés de tendreſſe ne ſeroit pas un defaut dans d'autres que dans un Pape. Mais en qui ne condanneroit-on point le choix de deux enfans pour occuper une dignité, dont la fonction ne conſiſte à rien moins qu' à partager avec le Pape le gouvernement de l'Egliſe Univerſelle, & a lui donner des conſeils dans les affaires du monde les plus importantes? Ne ſeroit ce point un défaut dans d'autres que dans un Pape, de faire un tel choix; & quelle eſt la Morale du Cardinal, s'il l'acru? Il faut avouer qu' il a un Evangile tout particulier pour les Papes, & qu' il eſt auſſi difficile de l'excuſer d'un excés de flaterie, que* Fra-Paolo

quel-

quelque fois d'un peu trop de malignité.

Quam autem ego rationem ad PAULUM purgandum in hoc Capite ſim initurus, ejus lemma aperte demonſtrat. Antequam vero eandem explicare, & confirmare aggrediar, ad obtrectatores illos converſus, ab ipſis quæro, quænam fuerit cauſa, cur ſpes omnes, quas de bene gerendo a PAULO Pontificatu conceptas, ex eo honore in Nepotes collato occidiſſe produnt, eæ ipſæ, vel illorum judicio, paulo poſt revixiſſe non cenſeantur, dum idem Pontifex poſt quatuor tantum menſes, ſeptem præſtantiſſimos Cardinales adlegiſſe dignoſcitur, Scombergium, Simonetam, Ghinuccium, Bellajum, Fiſcherum, Contarenum, Caracciolum? Cur præterea eaſdem firmiori adhuc documento poſt biennium conſtabilitas fuiſſe iidem non ſint faſſi, quod eo tempore idem Pontifex eandem dignitatem impertitus fuerit Viris aliis, qui pariter ad Remp. optime adminiſtrandam omnium certe excellentiſſimarum virtutum copia abundabant? Eos uno elogio complexus eſt in Epiſtola ad Card. Sadoletum celeberrimus ea ætate humaniorum literarum in Patavino Gymnaſio Præceptor, Lazarus Bonamicus: *Sapientiſſimi* (inquit) *innocentiſſimi, clariſſimi, & ſumma auctoritate præditi Viri, evocati, rogati, facti ſunt Cardinales! O præclara Comitia! o his difficillimis temporibus neceſſaria! o* PAULI *III. ſapientiam,*

tiam, & bonitatem ſingularem! At de præclariſſima PAULI Pontificis laude in Cardinalium delectu fuſius agemus in V. hujus lucubrationis Capite.

Venio igitur ad tres PAULI Nepotes, de quibus ſupra. Hi omnes, dum ille Pontificatum conſcendit, ſtudiorum cauſa Bononiæ degebant, & quam naviter in ea incumberent, teſtem habemus præſtantiſſimum in ea Urbe Rhetorem, Romulum Amaſeum, quippe qui egregiam eorundem adoleſcentum indolem, Orationi a ſe habitæ de PAULI III. Pont. Max. erga literatos homines beneficentiæ ſpe, veluti fundamentum conſtituit; nam ejus initio ita loquitur: *Ante oculos vero nobis ſint veræ, ac viventes imagines ipſius Pont. Max. Nepotes adoleſcentuli tres, non fortunæ tantum, ac generis claritate, ſed multo magis ingenio, ac liberaliſſima inſtitutione æqualium ſuorum præſtantiſſimi, ac multo natu majoribus pares, unde auſpicatius ad munus meum aggredi poſſum, quam ſi ab ea ſpe exorſus fuero, quam fauſtiſſimi hujus Pontificatus primordia nobis oſtentant*. Eandem vero concludens, & de commodis, ornamentiſque, quæ ex PAULI Pontificatu Bononienſis Academia ſperare poſſet, verba faciens, hæc tandem ſubdit: *Cujus certe rei eventum non ipſius modo Principis divina virtus, ſed trium etiam horum adoleſcentum ejus Nepotum ingenia, & mores vobis præſtare vi-*

videntur. Nam cum hi in hac ſtudiorum celebritate liberaliſſime educentur, & ab optimis, atque eruditiſſimis præceptoribus inſtituantur, dubitare certe non poſſumus, civitatem hanc altricem ſuam, æque caram, ac patriam ipſam habituros, ad veſtrum vero ordinem commendandum, juvandum, ornandum, fraterni in vos amoris omni tempore documenta daturos. Eſtis vos quidem (ut vobiſcum jam loquar) Pontificii adoleſcentes, in ampliſſimis nati fortunis, ad multo vero ampliores Dei, Divorumque ope, ac veſtri Avi virtute, & meritis educti. Sed ſi is ſum, cui credendum aliquid putetis, hoc mihi credite, non Purpuram vos, aut Infulas, non quævis maximorum honorum, ac dignitatum inſignia, illuſtriores, ac magis conſpicuos reddere poſſe, quam ſecundum eas, quas nunc ſedulo colitis diſciplinas, ea ſtudia, atque officia, quæ & in univerſum iſtum ordinem, & in ejus lectiſſimum, atque honeſtiſſimum quemque, ac veſtri quam ſimillimum contuleritis. Adoleſcentum illorum indoles iſta, ea ſtudia, ingenium, mores, & natura, quoties oſtendam quam valde idonea fuerint, quæ graviſſimos, integerrimoſque ejus ævi Cardinales adducerent, ut illico ob præſentem, ſperatamque eorundem amplitudinem ad laudes, & gratulationes accurrerent, inde profecto conſtabit, moroſos præter æquum adverſus PAULUM III. ſe præbere quotquot

in

in Nepotibus illis ſuis ad honores evehendis ejus animi imbecillitatem, Romano præſertim Pontifici nullo pacto condonandam, criminantur. Virorum illorum, quibus nihil magis cordi erat, quam Catholicæ Eccleſiæ bonum, de eo PAULI facto judicia tutiſſimam utique mihi ſemitam ſternent ad iniquas aliorum reprehenſiones rejiciendas.

Quotquot extant ſeu Poli, ſeu Contareni, ſeu Sadoleti, ſeu Bembi literæ, quas ipſi conſcripſerint ad eorundem Adoleſcentum opem in graviſſimis Eccleſiæ negotiis confugientes, ut ſua gratia, & auctoritate ab Avo ſuo, optimo, & ſapientiſſimo Principe, iis bene gerendis opportuna ſubſidia impetrarent, tot adſunt iſtorum fidei, æquitatis, integritatis, conſtantiæ, humanitatis, uno verbo, rariſſimæ virtutis certiſſima argumenta. At quoniam Adverſarii non initam ab iiſdem poſt acceptum Purpuræ honorem vitæ rationem, ſed eum honorem præcocius ipſis delatum reprehendunt, huc afferam, quæ probent PAULI erga ipſos munificentiam non tantum a noxa vacaſſe, ſed magnam præterea eundem laudem promeritum fuiſſe, quod perſpicaciſſimum acumen exeruerit in ampliſſimis ornamentis, nulla habita viridis ætatis ratione, conferendis, quibus præpotens Deus, etiam ſupra ætatem, virtutes, gravitatem præſertim, & prudentiam tribuiſſet. Virtutum autem iſtarum, quibus PAULI Ne-

po-

potum adoleſcentia exornabatur, atque ſapientiæ, qua Avus adductus, dignos eoſdem habuit, quorum honoribus moram ætas non objiceret, unum Sadoletum ſat erit teſtem a me laudari, quod ejus dicta ad fidem rei, de qua agitur, faciendam luculentiſſima ſint; quodque Polus, Contarenus, & Bembus, ut in reliquis pleriſque omnibus rebus ad Remp. ſpectantibus, ita in hoc etiam negotio, unum, idemque cum Sadoleto ſenſiſſe facile quivis conjiciat, idque inſuper, ut jam dixi, ex horum literis plane intelligitur, ex quibus pariter conſtat, eos longiſſime abfuiſſe, ne fortunam, & gratiam, potius quam judicium, ſuis in officiis ſequerentur.

Principem hic locum teneat Alexander Farneſius, quod omnium primus inter tres illos Nepotes, imo inter alios omnes PAULI III. Cardinales, ejuſdem munificentiam expertus fuerit. Jacobus Sadoletus, Epiſcopus Carpentoractenſis, nondum Cardinalis, per annum circiter diſtulit gratulationis officium Alexandro exhibere, & moræ hujus ſuæ cauſam reddens, Epiſtolam ad ipſum datam, his verbis exorditur: *Quo tempore primum de tuo honore ampliſſimaque dignitate nuntius ex Urbe ad nos huc pervenit, etſi ſtatim cogitans exiſtimare cœpi, te, quanquam ætate adhuc eſſes adoleſcens, indole tamen virtutis, & commendatione ingenii dignum habitum eſſe, cui tantus honos jure com-*

mitteretur; tamen quominus festinarem dare ad te literas, tuæque & præsenti, & speratæ amplitudini gratulari, illa res effecit, quod neque naturæ meæ, nec instituti unquam fuit, ita accurrere ad laudem, & ad gratulationem, ut fortunam magis, quam judicium secutus viderer. Subdit, se quidem probe noviſſe, quo ille ex genere ortus, & in qua familia educatus foret, & quo etiam pacto ſplendor, nobilitaſque Majorum ſuorum in ſuis moribus, & in ſua indole, ac natura lucerent, idque, quod optimus, & maximus Pontifex, eo Principatu, vel antequam ipſum adipiſceretur, digniſſimus, erga omnes ſuos optimis & ſtudiis, & moribus imbuendos ſemper maxima cura uſus fuiſſet, ut in eos viros evaderent, quos Chriſtiana Reſp. ſperaret; hæc, inquam, ſe probe noviſſe, at non ideo properandum ſibi ad gratulationem putaſſe, ſed expectare voluiſſe, quoad certius aliquid de ipſo Alexandro ad ſe perferretur: *Poſtquam vero* (inquit) *plurimorum literis, ac nuntiis, unaque & conſtanti voce omnium, de tuo ingenio, tuaque modeſtia, deque optimis & liberaliſſimis moribus, illaque inprimis admirabili comitate, veræ nobilitatis ſocia, qua tu probos & doctos præcipue complecteris, fama ingens increbuit: egoque Avenione tuas quaſdam legi literas diligenter ſcriptas, quibus cura & ſolicitudo animi tui indicabatur, ut in Eccleſia,*

quæ

quæ ad Deum, & ad cultum religionis pertinent, rite atque integre administrarentur omnia (quam ego virtutem omnium maximam esse judico) tunc demum existimavi maturum esse scribere aliquid ad te, & tibi de tuis amplissimis ornamentis gratulari, cum jam non ad incertam amplius spem, sed ad firmam & fundatam de te opinionem, mea & lætitia & gratulatio dirigeretur. Firmam, & fundatam Sadoleti de Alexandro opinionem illam, firmiore adhuc fundamento plura illico rerum eventa constabilierunt, quorum unum quæ scripta ab illo ad hunc extat Epistola nos docet, nam ibi insignis hujus, atque egregia in Bembo ad Cardinalatum evehendo opera, auctoritasque collaudantur, & inde occasio capitur novas laudes tribuendi liberalitati, nobilitati, virtutique ipsius Alexandri, cujus, ait ille, præcellens dignitas in posterum tantis initiis, & veluti fundamentis in immensum quasi crescceret. Data est ea Epistola an. 1539. Calendis Maii, ac proinde antequam Alexander vicesimum annum attigisset. Alia autem pridie Non. Jul. an. 1540. majoribus adhuc encomiis eundem Alexandrum exornat, primo quidem quod in suscepta ad Cæsarem Legatione, multa ex sententia & sua, & Avi sui, Principis sapientissimi, cum Cæsare confeciisset, deinde vero quod commendatio rerum, causarumque provinciæ Avenionensis, quam ab Ur-

be discedens apud animum Pontificis reliquerat, usque eo provinciæ illi profuisset, *ut simus* (inquit) *omnia, quæ voluimus, quæ ad horum fidelium populorum fortunas, ac salutem potius, adversus Judæorum improbitatem, ac fraudes tuendam pertinebant, ipsius* (Pontificis) *non solum æquitate, & justitia, sed summa etiam clementia, & benignitate consecuti.*

Eam ipsam causam adversus Judæos, æque ac Alexandro, Sadoletus commendaverat Cardin. Ascanio Sfortiæ, quodque istius pariter patrocinium in eadem apud Pontificem, æque ac Alexandri, magno emolumento provinciæ suæ fuisse comperisset, in tribus literis de eo argumento ad illum conscriptis rem illam in optimum locum ejus beneficio adductam gratulatur, ac propterea ipsius singularem constantiam, eximiamque animi virtutem meritis laudibus effert, inter cætera hæc habens in Epistola, quæ trium illarum postrema est: *Quid vel in bona ratione firmius ea mente & voluntate dici, aut cogitari potest, quæ honestate sibi dignitateque proposita nullis hominum artibus & machinis a recto sensu se dimoveri passa est? vel ea iracundia & permotione animi generosius, qua tu jure optimo incensus, eorum interpretationes & additamenta, qui diplomatis sententiam ad commodum Judæorum detorqueri volebant, calamo sumpto obliteraſti, om-*

omniaque ad ſplendidam & veram rationem redigi voluiſti: cum tu homo adhuc adoleſcens, fortunæ quidem muneribus inſigniter ornatus, ſed naturæ bonitate ingenioque ornatior, ſenum morbos & vitia, tua prudentia corrigeres, nec virtutis tuæ lumen aliorum tenebris commaculari ſineres. Poſtea verba facit de machinationibus, quas Judæos adhibituros fore ſatis perciperet, ut quæ bene acta, & conſtituta fuerant labefactarentur, non ſolum obliquis viis, ſed interdum etiam recta, & palam; at quam parum ſibi de machinationum illarum ſucceſſu verendum eſſet, Sfortia defenſore rectiſſimi juris, pluribus explicat, ac tandem concludit: *Jamdudum enim eſt, optime Sfortia, cum de indole tua & ſpe præſtantiſſimæ virtutis præclarum judicium feci: porro ea mihi de te quotidie magis duplicatur opinio. Non enim jam initia in te virtutis, ſed virtutem ipſam intueor, & quidem expreſſam atque perfectam omnium bonarum artium & partium lineamentis, quæ verum tibi honorem & veram dignitatem ſemper allatura eſt. Nam opes hæ, & divitiæ quæ extra nos ſunt, ſi animus intus a bonis artibus vacuus ſit, nihil omnino ad nos pertinent. Una, & ſola eſt virtutis integritatiſque poſſeſſio, quæ nos faciat beatos. Quam te jam adeptum eſſe, in ejuſdem poſſeſſione conſiſtere, & gratulor tibi, & pro tantis erga*

po-

populos meos meritis debitas gratias ago.

Tertius Pauli III. Nepos ab Avo ſacra Purpura donatus, Raynutius Farneſius. Ad eum binæ extant Sadoleti literæ, & ambæ fidem faciunt, hunc, æque miras in illo virtutes, ac in Alexandro fratre, & in horum amitino Aſcanio, ſuſpexiſſe. Faſſus ſiquidem, percelebratum eſſe, eundem ea ætate, quæ nec dum matura ad cognoſcendam, percipiendamque vim ſcientiæ, & virtutis eſſe ſolet, tantos tamen feciſſe in iiſdem progreſſus, *ut nihil eruditius, nihil a quoquam viro ingenioſius, ne in moribus quidem, totiuſque vitæ modeſtia compoſitius, poſſit expectari*, deinde affirmat, virtutem, & nobilitatem generis ſui totam plane expreſſam in ipſo comparere: *Atque in iſta* (inquit) *tua admirabili progreſſione ad virtutem, in qua longe ætatem tuam ipſa induſtria ſuperat, agnoſco quidem vim generis, virtutem ſanguinis, fortunam familiæ tuæ, quæ ſemper iſtiuſmodi viris, atque ingeniis fuit referta. Etenim quis hominum unquam tuo Avo ſapientior, quem ad ſummum in orbe terrarum ſanctiſſimi honoris principatum ipſa ſapientia provexit? Quis fratre tuo Alexandro probior, liberalior, moderatior; qui cum & fortuna, & dignitate, ſummis antecellat, humanitate tamen omnibus vult eſſe par? Non commemorabo ceteros: ſunt enim omnes ex eadem ſtirpe & ſanguine procreati.*

Hæc

Hæc leguntur in prima ex illis Epiſtolis. In altera vero de Raynutii optimis ſtudiis, in quibus, conſentiente omnium fama, noctes & dies aſſidue verſabatur, ea habentur, quæ in medium attuli in ipſo Cap. I. exordio. Neque negotium nobis faceſſere debet collata in eundem ab Avo ante Cardinalatum, Archiepiſcopatus etiam Neapolitani dignitas; nam ea auctus, quot & quanta ſtatim oſtenderit ingenii, & animi ornamenta, fidem facit Joannes Caſa, Pontificius apud Venetos Ablegatus, in quibuſdam literis ad Carolum Gualteruccium, Venetæ ipſius Caſæ Oper. Edition. Tom. III. recitatis, quarum unæ his verbis eundem deprædicant: *Ho conoſciuto S. S. Rma per ſcientia oltra alle ottime relationi, che ſendo ſtato qui otto giorni mi ſon certificato delle mirabili qualità di S. S. Rma, & vi prometto che N. Sig. ſi può ben chiamar felice, aggiungendo queſto Illuſtriſs. ſi può dir fanciullo agli altri Nipoti di S. B. Et a me piace ancora più che non faceva Monſig. Coſimo Veſcovo di Fano.* Coſimum Gherium intelligit, laudatiſſimum Fani Antiſtitem, de cujus virtutibus, dum viridi & ipſe ætate Infulas illas & adeptus fuiſſet, & gereret, pluribus locis utriuſque Diatribæ dixi.

Quæcunque hucuſque ex Sadoleti Cardinalis literis, quem nemo in dubium revocaverit ſpectata integritate fulſiſſe, de liberaliſſimis PAULI III. Nepotum

tum ſtudiis, ac moribus in medium ſunt adducta, ita aperte demonſtrant, eoſdem ad ampliſſimam dignitatem non temere, ſed ex maxima Avi ſapientia adlectos fuiſſe, ut nihil amplius ad eam rem comprobandam deſiderari poſſe videatur. Quare, ut ſuperius dixi, ſupervacaneum puto aliorum de ea re dicta recitare. Unum tamen afferre placet ex Poli ad Contarenum Epiſtola. Aberat hic Roma, Bononienſem Legationem adminiſtrans, dum Gregorius Corteſius, Monachus Benedictinus, & Thomas Badia, ex Ordine Prædicatorum, renunciati fuerunt Cardinales anno 1542. Itaque ei per literas electionem illam Polus ſignificavit, ea plenus lætitia, qua pariter perfuſum iri Contarenum pro comperto habebat. At dum ex illa ipſa quodammodo triumphaſſe Cardinalem Alexandrum Farneſium ille in iis literis teſtatur, nihil clarius, nihil lucu-lentius afferri poſſe cenſeo ad oſtendendum, eundem præclaro prorſus ſtudio ad verum Romanæ Eccleſiæ decus cum antiquioribus, & ſapientioribus Cardinalibus conſpiraſſe, ut ſolo annorum numero ab iſtis diſcrepans, eos in ſtudio illo plene, & cumulate referret. En Poli Epiſtolæ verba: *Non voglio laſciare di dirli, che il Rño Ferneſe mi ha detto, che quando V. S. Rña haveſſe avuto da eleggere dui Cardinali era certo che non haveria eletto altri che queſti, anzi ſi può dire, che il Sig.*

Id-

Iddio l'habbia in ogni modo uſata per primo, & principal iſtrumento in queſta ſancta electione per quello che V.S. Rma ha altre volte ricordato fedelmente a S. Sant. ragionando dell' uno e dell' altro. Viceſimum & alterum annum nondum exceſſerat Cardinalis Alexander, dum Comitia illa habita fuerunt, Polus vero ad quadrageſimum ſecundum, Contarenus ad quinquageſimum octavum devenerant; & tamen pares cum utroque iſto erga Romanam Eccleſiam amoris, & pietatis ſenſus ille ſe gerere, non alia profecto ratione magis declarare potuit, quam electioni illi ita plaudendo, ac eos plaudere comperiebat, quibus, ut Poetæ phraſin uſurpem, *incoctum generoſo pectus honeſto*. Viros, cujuſmodi Corteſius, & Badia, in ſchola Clauſtrali, ac proinde in virtutum gymnaſio exercitatos, potius quam vulgares, quam ambitioſos, quam ex ſæculi fluctibus irruentes, ſacro Senatui accenſeri imprimis ſtuduiſſe Polum, & Contarenum, alioſque conſummatæ ſapientiæ Cardinales, nil mirum fuiſſe dixerim; at eam ipſam ſapientiam in Alexandri juventa æque eluxiſſe, hoc certe meridiana luce clarius oſtendit, virtutis, quæ longe ætatem ſuperabat, PAULUM III. rationem jure optimo habuiſſe, dum Nepotes ſuos ad Cardinalatus faſtigium, etſi nondum eorum vultus lanugine vernarent, evexit. Addam, in evehendo pariter ad eam dignitatem

Petro Bembo, eximiam Alexandri prudentiam, atque conſtantiam inſigniter patuiſſe. Id probant binæ illius Epiſtolæ Familiar. lib. VI. In prima gratias Alexandro agit, *Quod me* (inquit) *auctoritatis, patrociniique tui magnopere indigentem fovendum, & tuendum ſuſcepiſti, neque notum tibi hominem, neque ullo in te offitio antea functum, ut iſta tui erga me animi propenſio, atque alacritas mihi præſto divinitus fuiſſe videatur.* In altera vero idem gratiarum officium perſolvit his verbis: *Quanti me faceres oſtendiſti, qui maximorum & clariſſimorum hominum autoritatem me apud te impugnantium neglexiſti, prudentiaque tua eorum conſilium repreſſiſti.* Datæ fuerunt ambæ literæ iſtæ an. 1535. menſe Auguſto, ac proinde nondum elapſo anno poſt delatam Alexandro Cardinalatus dignitatem; ex quo conſtat, eundem vix inito honore illo de præſtantiſſimis Viris bene merendi occaſionem illico cepiſſe, & in eam rem toto animo incubuiſſe. Ex præſtito igitur Bembi, Corteſii, & Badiæ, aliorumque hujuſcemodi Cardinalium electionibus apud Avum adjumento, Alexandri virtus, animi magnitudo, ſapientia id profecto conſequuta eſt, quod PAULUM III. conſequuturum Sadoletus ad eum ſcribens, & eundem Bembum ipſi commendans, affirmavit, ut nimirum ab omnibus, qui in toto orbe terrarum con-

jectos

jectos oculos in Romanam Aulam haberent, ſummis laudibus ejus nomen in cœlum ferretur, & maxima ipſi, & perennis gratia haberetur.

Atque hæc ſatis eſſe reor non ad liberandum tantum PAULUM III. ab infamiæ nota, quam ſuis Pontificatus primordiis inuſſiſſe paſſim vulgatur delata tribus iis adoleſcentibus Nepotibus Romanæ Purpuræ amplitudine, ſed ad commendandam præterea ejuſdem admirabilem ſolertiam in derivandis ex privato illo familiæ ſuæ ornamento publicis utilitatibus. Satis, inquam, eſſe reor, nam præfinitus huic Opuſculo ambitus, temporis ſcilicet illius, quod Epiſtolæ, in primo, & altero Collectionis meæ Volumine comprehenſæ, complectuntur, minime admittit, ut de tradito a PAULO III. familiæ ſuæ in quaſdam Pontificiæ ditionis Urbes imperio diſſeramus; de quo propterea argumento alibi erit tractandi locus, nimirum in tertio, ſeu in quarto Volumine. Huc quidem faceret regiarum nuptiarum ſplendor, quo pariter PAULI III. familiam honeſtatam fuiſſe novimus poſt Nicienſem Congreſſum; at quoniam de iſto agendum erit in Cap. IV. in eum locum reſervamus argumenti illius tractationem. In anteceſſum tamen placet afferre Sadoleti Epiſtolam, qua docemur, PAULUM III. quum nihil reliqui faceret, quod ad Chriſtiani generis tutelam, regimen, & procurationem pertineret,

exiguum quid dumtaxat naturæ, & amori erga ſuos dediſſe. Obierat Conſtantia, ejus filia, fœminarum utique lectiſſima, quam quum plurimi faceret Sadoletus, dolorem, quem inde accepit, non quidem coram, Sanctitati Suæ, quam intellexerat nolle triſtis illius eventus cauſa ſuum ſilentium, & cogitationes ſuas interpellari, ſed per literas aperuit, in quibus hæc inter cætera leguntur: *Cum amiſſa tali filia, qualem tot & tam eximiis ornamentis præditam, virtutis, ingenii, humanitatis, prudentiæ, noſtra non alteram extuliſſet ætas, nos heſterno die Sanctitatem Tuam maximo dolore affectam, & prope afflictam eſſe arbitraremur, eſſetque ei tunc divina res facienda, nihil ipſa tanto vulnere retardata, in conſpectum omnibus ſeſe dedit, obivitque ea, quæ ad religionem, & ſummum Deum pertinebant, neque eorum colloquia, qui ab ea aliquid petebant, devitavit. Talem denique ſe omnibus in rebus præſtitit, voce, vultu, ſermonis animique firmitate, ut miraremur cuncti, mutuoque inter nos quæreremus, quonam telum illud abiiſſet, quod tam valide immiſſum in Tuum pectus a fortuna videbatur.* Vulgares igitur, & quotidianæ animi imbecillitates nullo pacto ex Sadoleti fide inerant in Paulo III. in quo contra gravitas, & temperantia, & rerum omnium moderatio ſedem, ac domicilium conſtituerant.

Ad-

Addens autem ibidem Sadoletus, ad doloris ſolatium, ad animi firmamentum Pontifici eſſe debere monumenta divinæ erga ipſum indulgentiæ, & bonitatis, quæ in eadem fœmina apparuerant, quippe quæ & gratiam, qua plurimum valebat, & ingenium, quo admirabili erat prædita, & opes, quibus egregie florebat, ad ſubſidium impotentium, ad tutelam viduarum, pupillorum, ad gratificationem omnium, qui ad ejus opem, auxiliumque confugiſſent, ſemper convertere in more habuiſſet; hæc, inquam, addens, non omittit ejus fœminæ ſobolem, cujus videlicet excellens, atque eximia virtus efficeret, ut digna tali matre, tanto Avo jucunda, omnibus denique grata, & venerabilis haberetur. Præclariſſimum ejus ſobolis germen Guido Aſcanius Sfortia, de quo ſupra. Cui indulgentiæ, & bonitati divinæ PAULUM III. reſpondiſſe, ejuſdem ſobolis præſtantes ingenii, & morum dotes ad Reip. utilitates adhibendo, hoc certe (ut pluries dixi) non obtrectationes, ſed præconia promeretur.

Quoniam vero obtrectationes illas graviore tumultu in PAULI III. nomen jaculari in more habent Heterodoxi, juvabit, pro Capitis præſentis coronide, ipſis opponere unum M. Antonium Flaminium, in quo, quum ii, præter præſtans ingenium, & exquiſitam doctrinæ copiam, ſuſpiciant ſanctam vitæ rationem, & ſingularem in Deum pietatem, ne-

mo erit certe ex iisdem, qui illius sensus de aucta festinatis iis honoribus PAULI III. familia suo quoque suffragio probare refugiat. *In ipsa igitur Italia* (ita de eo loquitur Jo: Georgius Schelhornius, agens Amæn. Histor. Eccles. & Liter. Tom. II. de Religione Flaminii) *veritati Evangelicæ inimica, & in medio pravi perversique generis hominum, micabat tanquam splendidum luminare, plenusque divinæ lucis radiis, ita sensit, ita vixit, ut non dubitemus virum optimum purioris religionis, veræque pietatis studiosis adscribere*. Quid iste igitur de Cardinalis Alexandri Farnesii virtutibus senserit, & quibus plausibus summam rerum, quam ei vix ad dignitatem illam evecto Sanctissimus Avus commiserat, gratulatus fuerit, videamus. Extant plura carmina Alexandro a Flaminio inscripta, atque omnia ipsius laudibus scatent. Hæ propterea cum purioris religionis, veræque pietatis sensibus optime consentire, Heterodoxis judicibus, censendæ erunt. Paucos tantum versus ex ea copia excerpam, quibus nimirum virili pueri, Carolum Cæs. adeuntis, animo, & fructibus, qui ex maturis ejusdem annis expectabantur, ita plauditur.

Macte puer virtute, puer dignissime cœlo,
Cæsaris ad magni colloquium propera;
Ut tua miretur jam dicta, animumque virilem
Romani custos maximus imperii.

Et

Et te jam primis venerari diſcat in annis
Paullatim, donec fulſerit illa dies,
Cum genibus minor ipſe tuis, ſpectante ſenatu,
Procumbet ſanctis oſcula dans pedibus.
Nam ſimul aucta ſuum ver dulce peregerit ætas,
Et te maturum fecerit illa virum,
Auſpicio divûm regno præfectus avito
Aurea Romanis tempora reſtitues &c.

Video utique qua ratione iidem Heterodoxi ictum in ipſos illatum repellere ſe poſſe arbitrari valeant, affirmantes ſcilicet, flavum Apollinem, blandaſque muſas, potius quam religionem, quam pietatem, ad eos verſus fundendos Flaminium impuliſſe. Quare ne huic effugio ſit locus, ſtatim orationem converto ad pſalmorum Explanationem, quam eidem Alexandro iſte nuncupavit, & in qua, teſte eodem Schelhornio, ubivis elucet eximia in Deum pietas, ardenſque Numini optimo ſerviendi, placendique ſtudium, & animus divino ſpiritu plenus. Nuncupatoriam illam Epiſtolam tanti feciſſe reperio hominem illum, ut fere integram ſuæ illi de Flaminii religione lucubrationi inſeruerit. Itaque quo ſanctior habetur & Explanatio illa, & Epiſtola eidem præfixa, eo etiam ad religionis canonem caſtigatius de Mæcenate, quem eidem adſcivit, loquutus fuiſſe exiſtimari debet Flaminius. At in ea Epiſtola divinam illius indolem collaudat, ipſum publicæ utili-

tatis

tatis amantissimum dicit, & ejus præsertim, quæ non mediocre commodum divinarum literarum amatoribus allatura foret. Quid igitur clarius, quam Flaminium valde ab eorum sententia abfuisse, qui magno piaculo PAULUM Pontificem se obstrinxisse clamitant, quod teneræ Nepotum juventuti Romanæ Purpuræ honorem mandaverit? Potius quam prave, & maligne cum Heterodoxis, Flaminius recte, & corditate hac in re sensisse dicendus est cum quatuor illis Cardinalibus, quos, inter præstantissimos a PAULO III. creatos, Pallavicinus lib. III. cap. 17. hoc modo simul jungit, *un Contarino, un Sadoleto, un Polo, un Bembo*. Emphasis tamen ista in enunciandis eorundem nominibus a Pallavicino adhibita profecto postulasset, ut summa illorum auctoritate fretus, adversus Sarpium, alioque confidenter pronunciaret, in PAULI III. Nepotes suos ad Cardinalatus apicem deligentis, amore & judicio longe majores exstitisse virtutis partes, quam consanguinitatis. Nec abs re fuisset affirmare, eosdem naturæ donis cumulatissimos, cunctorum de se opinionem, & vota plane fallere non potuisse, quod præter illa, ob oculos haberent in Sanctissimo Avo domesticum præstantissimæ virtutis exemplum, unde formare se, & fingere ad omnem excellentiam possent; quæ ipsa scripsisse reperimus Card. Sadoletum ad Card. Alexandrum.

CA-

CAPUT III.

De PAULI *III. æquitate, & prudentia in Anglicani Schiſmatis per Henricum VIII. invecti negotio.*

NEscio ſatis mirari, Jacobum Auguſtum Thuanum culpam omnem turbatæ per Henricum VIII. in Anglia religionis, potius quam in ipſum Regem, in Romanos Pontifices rejicere. Narrans ſiquidem Hiſtoriar. ſui temp. lib. I. qua ratione ſupremam ille in Eccleſiaſticis Regni ſui rebus poteſtatem, ea eliminata, quæ ad Romanum Pontificem pertinebat, ſibi adſcripſerit, mox ſubdit: *In reliqua vita ita ſe geſſit illeRex, ut eum, ſi æquiores, & prudentiores Pontifices nactus fuiſſet, ſponte ſe ſubjecturum ipſorum poteſtati fuiſſe appareret.* Docilis, morigerique animi laudem in accipiendis conditionibus, molli licet imperio ſibi propoſitis, nemo alius Henrico VIII. adjudicavit, quod ego quidem ſciam, qui contra novi, Hiſtoricos pleroſque omnes teſtari, eundem ita placitis ſuis præfidere aſſuetum, ut arrogantia non ferenda laboraret. De eo ita in Opere *Hiſtoire de la Reformation de l'Egliſe d'Angleterre* Gilbertus Burnetius: *Son impétuoſité naturélle fut enſuite fortifiée par une vanité inſupportable, & par l'opinion extravagante, qu'il avoit de ſa propre capacité. Ce qui*

le rendit un des hommes du monde le plus difficile à ſervir, & le moins capable de recevoir des conſeils. Hæc ille habet in Operis illius Præfat. in qua pariter de Henrici vitiis plura adnotat, quæ quidvis aliud quam tractabilem ipſum, quam facilem ad aliena, potius quam ſua, conſilia ſequenda demonſtrant. Thuani de Henrico Rege judicium illud improbandi, & refellendi in Diatriba mea altera occaſio non defuit, ibique diſerte affirmavi, æquitatis, quam a Pontificibus in Henrici rebus abfuiſſe pronunciat, ſe in referendis eorundem geſtis prorſus expertem eo judicio declarare; nec omiſi ibidem monere, ab hiſtorica eundem fide deſciſcere, dum Henrici obitum his verbis enarrat lib. III. *Sub initium hujus anni V. Kal.* (1547.) *Henricus Angliæ Rex fato conceſſit, princeps omnibus naturæ bonis cumulatiſſimus, & in quo, ſi in voluptates ſolutior non fuiſſet, nihil merito deſiderare poſſes*. Tyrannidis, & crudelitatis metam extremam attigiſſe Regem illum, nemo in dubium revocaverit. Hæc autem ſcelera, præter fœdiſſimas voluptates, quibus ſe dedit, & præter impietatem, qua Romani Pontificis primatum exſecratus fuit, vel ex ſe ſola oſtendunt, plura ei defuiſſe, quæ in ſuo Principe jure, ac merito Anglia poſſet deſiderare. Demum (ut hoc etiam addam) Thuano ibidem exprobravi comparationem, quam inſtituit inter Henricum

hunc, & Franciſcum I. Galliarum Regem, eoſdem his verbis conjungens: *Accedebat ad hæc morum, & naturæ tam conſpirans ſimilitudo, quanquam in fortuna diſpari, ut nulla inter duos Principes, vel temporum quovis intervallo diſparatos, major uſquam commemorari poſſit.* Similitudinem iſtam vehementer fallerer, ſi Gallus aliquis reperiatur, qui Franciſci Regis glorias memorari poſſe arbitretur.

Hiſce adverſus Thuanum præmiſſis, tractationem, quam hujus Capitis lemma depoſcit, aggredior, ac ſtatim fateor Sarpium, atque Courayerum de inita a PAULO III. in Anglicani Schiſmatis negotio ratione quadantenus æquius, quam Thuanum, ſenſiſſe. Sarpius narrationi ſuæ hoc initium facit, quod ex Courayeri verſione recitabo: *Ce Prince (Henry) s' eſtant ſouſtrait à l'obeiſſance de l'Egliſe Romaine, & s'étant fait declarer en MDXXXIV. Chef de l'Egliſe Anglicane, comme on l'à rapporté auparavant*, Paul *auſſi-tôt après ſon exaltation fut fortement & continuellement ſollicité par l'Empereur, qui ne conſultoit en cela que ſes propres interéts, de fulminer les cenſures contre* Henri; *& y étoit d'ailleurs excité par ſa Cour, qui croyoit par ce moyen ou regagner l'Angleterre, ou du moins la mettre toute en feu. Mais le Pape qui étoit tres experimenté dans les affaires, jugeoit cette de-*

marche peu convenable. Æquior, inquam, hucuſque, quam Thuanus, in Pontificem, at iniquus omnino in eundem, dum cauſam, qua iſte adductus tarditati potius, quam feſtinationi morigeratus eſt, ediſſerit. Quod poſtquam feciſſet, narrat, quomodo ex Cardinalis Roffenſis ſupplicio alii Cardinales Pontifici auctores eſſe non omiſerint, ut ferret tandem in Henricum cenſuras, moxque explicat captam ab eodem de ea re deliberationem: *Le Pape néanmoins ne changea pas de réſolution Mais pour employer un temperament, dont aucun autre de ſes prédéceſſeurs ne s'étoit encore ſervi, qui étoit de lever la main, & de menacer de la foudre, mais ſans la lancer, & ſatisfaire ainſi les Cardiuaux, & ſa Cour ſans commettre l'Autorité Pontificale, il fit dreſſer un Procès & une ſentence tres rigoureuſe datée du 39. d'Août MDXXXV. dont il ſuſpendit la publication à ſa volonté*. PAULI III. moderationem, prudentiam, circumſpectionem iſtam ſuo etiam ſuffragio confirmare cenſendus eſt Courayerus, quippe qui verbis Raynaldi in Annalib. ad eum an. *Maximis autem difficultatibus hanc rem implicitam fuiſſe docent Acta Conſiſtorialia*, hanc notam ſubjungit: *Quoique put-être tous convinſſent que* Henri *ſe fût juſtement attiré les Cenſures, il pouvoit y avoir bien des raiſons pour croire qu'il n'étoit pas de la pru-*

den-

dence de les employer. Adeo autem ſingularis fuit PAULI in cohibendo adverſus Henricum anathemate ea lentitudo, ut vel ipſe Cardinalis Polus, etſi plenus ſtudii, & amoris erga eundem Regem, non omnino probaſſe aliquando ſit viſus agendi rationem illam. Siquidem iſte in Epiſtola ad Aloyſium Priolum, recitata in primo Collectionis meæ Volumine, hæc de Rege Henrico ſcribit, paucis menſibus poſt anathema illud in ſcripta jam redactum: *De Rege prorſus ſentio, niſi ex Eccleſia expellatur, nunquam eum in Eccleſia permanſurum. Quod ſi initio, cum hæc res Romæ agi cœpta eſt, excluſus fuiſſet ab Eccleſia, jam tandem rediiſſet*. Et paulo poſt in exemplum afferens Sacerdotes, qui Oziam Regem feſtinate expulerunt, ſimul ac ejus frontis lepram apparere vidiſſent, *Quo* (inquit) *hæc cunctatio noſtrorum Sacerdotum tendat in illo Rege, cujus non ſolum frontem, ſed totum corpus lepra occupavit, non intelligo; niſi forte expectent, ut ipſi omnes a Rege expellantur, aut vita priventur, in quo ipſum minime cunctatorem video*. Iiſdem fere ſenſibus loquitur in Epiſtola alia ad eundem Priolum: *Hæc itaque* (ait) *cum ita ſint, ecqua ſpes reconciliationis cum Eccleſia? Non poſſum dicere nullam, niſi prius videro, quod in hac cauſa opportunum ſemper judicavi, ut Rex timere cogatur, quod facile factu foret, ſi leges Eccleſiaſticæ, quæ in tanto fi-*

dei

dei periculo exerceri ſolent, exercerentur; timor enim ipſum faceret auſcultare. Si autem vel momento auſcultaret, tum quidem plus ſpei, quam deſperationis haberem. Caveat tamen Lector, ne iſta legens, Polum male animatum erga ſuum Regem exiſtimet; imo vero, ut adnotavi in Diatriba primi illius Voluminis, & alibi etiam, quum eo manifeſte tenderent, ut Rex aut in Eccleſia perſtaret, aut ex ea ejectus, cito ad eandem rediret, manifeſtum inde redditur, ſolum ex ſincero adverſus eundem amore ea potuiſſe a Polo conſcribi, idque pro certo habuerunt homines omnium ſententia leniſſimi, Contarenus, & Sadoletus, ut eos tantum nominem, quorum judicium conſtat a Polo exquiſitum fuiſſe, tanquam Scriptorum ſuorum canonem (ut ipſe vocat) & Lydium lapidem.

Neque vero in cunctatione illa tantum PAULI III. enituit moderatio, atque circumſpectio, ſed in reliquis omnibus, quæ ad Regem Henricum in concordiam cum Romana Sede pertrahendum molitus eſt, atque tentavit toto illo triennio, quo a ſententiæ jam ſcriptæ promulgatione abſtinuit. Binæ Legationes, eo temporis ſpatio Polo demandatæ, apertiſſime comprobarunt, quæcumque in ea cauſa egit, conſiderate admodum egiſſe Pontificem. Primæ cauſam dederunt exorti in Anglia motus in Henricum ob religionis res ab ipſo innovatas; nam PAULUS III.

Pon-

Pontificii muneris esse censuit, Catholicis ejus Regni, quibus cordi foret avita fides, ac proinde supremæ suæ potestatis ad pristinum gradum, unde illam Rex Henricus dejecerat, restitutio, opem ferre. Itaque Card. Polum ad eas partes ablegavit. Rem ita narrat Scriptor ejus Vitæ: *Legatio ei in Galliam, atque in Belgas, Flandriam vocant, decreta est, ut qui adhuc in Anglia Catholici essent, eos in Ecclesiæ fide retineret. Ad eam rem Cæsar & Galliæ Rex, suam Pontifici opem & auxilium detulerant, atque hic etiam tutum Polo per sui Regni fines iter fore promiserat. Hanc ille provinciam non invitus accepit, quod adjunctis ad Pontificis Maximi studia tantorum Principum voluntatibus, Henricum Regem ad Ecclesiæ unitatem, & obedientiam revocari posse non omnino diffideret.* Quanam, amabo, ratione circumspectius eam Legationem Polo committere Pontifex potuit, quam eandem non ex assensu tantum, sed ex voluntate summorum Principum illorum decernendo? De Regis Christianissimi Oratoribus hæc ille in Epistola ad Rodulphum Pium, Cardinalem Carpensem: *Antequam Roma discederem, non solum mihi, sed Pontifici ipsi constanter affirmarunt, cum de hac mea Legatione, & de via perveniendi ad Regem cum ipsis conferretur, gratissimum Regi meum adventum fore.* De Oratoribus autem

Ca-

Caroli Cæſaris hæc affirmat in Epiſtola ad Erardum de Mark, Cardinalem Leodienſem: *Si humanitatis in Gallia gutta aliqua deguſtata, flumina benignitatis, omniſque humanitatis in Cæſarea ditione nobis promitteremus, merito quidem id facere videremur, nil enim nobis cum Gallis plus quam cum hoſpitibus in diverſoriis publicis, per eorum provinciam iter facientibus fuit; finis vero itineris, ſi Anglia prohiberemur, Cæſaris provincia ab ipſis Cæſaris Oratoribus propoſita fuerat.* Præterea PAULUS Pontifex, ut nihil reliqui faceret, quo placide, ſi fieri poſſet, ea Legatio optatum finem aſſequeretur, Polo ad rem illam opportunum maxime comitem dedit, Joannem Matthæum Gibertum, Antiſtitem Veronenſem, cujus conſpectum Regi Henrico gratiſſimum fore ſperabat, ea de cauſa, quam declarat in literis paulo ante laudatis ad Rodulphum Carpenſem: *Quæ ſi minus ille* (de Rege Henrico loquitur) *a me initio audire vellet propter alienatum a noſtro Ordine ejus animum, adducebam mecum illum, cujus ſumma officia amoris, & pietatis plena in ipſum Regem exſtiterant, dum rerum Romanarum ſub Pontifice Clemente gubernacula teneret, quem tota noſtra Natio amiciſſimum ſemper, & officioſiſſimum in ſe eſt experta, cujus etiam officia ſibi gratiſſima Regem prædicantem ſæpe audiveram.* Tandem Pontificis prudentia pariter

riter enituit in Polo poſt paucos menſes ex ea Legatione revocando. Cauſæ, quibus adductus id fecit, nobis innoteſcunt ex Contareni literis ad Polum, in quibus hæc leguntur: *Putat Pontifex prudenter omnia, nec videt, rebus Chriſtianæ Reip. ac Principum, ita ut ſunt, conſtitutis, cum Turcarum Princeps omnibus viribus collectis in nos ducit & ampliſſimum, ſimulque potentiſſimum exercitum, ac ingentem claſſem, poſſe nos quidquam ſperare. Præterea multum tibi timet in iis regionibus degenti, quem cenſet ſumma diligentia ſervandum eſſe, veluti pretioſum theſaurum, ut ejus verbis utar, cum aliis rebus ac commoditatibus Eccleſiæ, tum melioribus temporibus. Ideoque appetentibus etiam Calendis Novembribus, quibus indictum Concilium eſt, reor eum decreviſſe, ut ad nos tuto redeas. Aget autem de hac re diligenter & cum Sereniſſimo Romanorum, & cum Chriſtianiſſimo Gallorum Regibus.* Quis unquam diffitebitur, PAULUM Pontificem ita ſe gerentem, primo in decernenda, deinde in dirigenda, denum in concludenda Belgica illa Poli Legatione partibus omnibus prudentioris circumſpectionis ſatisfeciſſe?

Elapſo jam triennio, PAULO III. in religionem venit quælibet cunctatio, quæ diutius anathematis illius publicationem remoraretur; quare die 17.

Dec. an. 1538. ſententiam in Henricum Regem emiſit. Attamen una ſimul novam Polo Legationem credidit ad Carolum Cæſarem in Hiſpanias, & ad Franciſcum Regem in Gallias, quo veritus Henricus eorum Principum adverſus ſe fœdus, ad ſaniorem mentem rediret. Hoc vere fuiſſe Pontificis conſilium, ex ſumma utique animi moderatione, & æquitate profectum, docent nos partes in ea Legatione Polo mandatæ, & rei, dumtaxat de compacto cum utroque illo Principe gerendæ, capta deliberatio. Omnino lenibus, omnino aptis ad Henricum ex Chriſtianæ caritatis lege juvandum inſtructum fuiſſe Polum ab eodem mandatis, fidem apertam faciunt hujus Epiſtolæ omnes ad Legationem illam ſpectantes, quæ pariter evincunt, nihil in iis mandatis abſonum, nihil inconſultum, nihil contra fas, juſque civilis Imperii, ambos eos Principes videre ſibi viſos fuiſſe, hoſque proinde Romanæ Sedis poteſtatem, cujuſmodi PAULUS III. in Henricum exercuit, haudquaquam averſatos fuiſſe, nec eis adfuiſſe ſeu doctores, ſeu ſuaſores, ipſam averſantes. Caruit quidem ſucceſſu Poli Legatio, non tamen ex vocata in invidiam ea poteſtate, ſed quoniam, ut Scriptor Gallus (paulo poſt nominandus) affirmat, Principes quoque præferre ſæpius in more habent, *comme les autres hommes, l'utile, & le preſent a l'honneſte & au futur*. Quod dixi,

nihil

nihil, niſi æquum, & bonum, a Pontifice in ea Legatione Polo demandatum fuiſſe, quin opus ſit ad alias Epiſtolas confugere, ſatis conſtare faciam ex Apologetica ejuſdem ad Eduardum VI. Angliæ Regem, in qua hæc leguntur: *Cum utroque autem Principe ſic egi, ad id utrumque ſemper hortatus ſum, ut amoris & amicitiæ rationem potius adhiberent, qua amicum & fratrem graviter lapſum erigerent, erectumque in regio ſtatu confirmarent; quam, ut odii, & inimicitiarum armis uterentur, quibus eum opprimerent, atque ſpoliarent. Hoc ego nunquam profecto volui, neque cum illis egi: ſed intelligens, quantum eorum vel exemplum vel auctoritas in tam honeſta piaque cauſa valere poſſet, ab utroque id contendi, ut omni auctoritate & gratia apud illum niterentur, ne diutius in ſua a communi omnium matre Eccleſia defectione perſeveraret, neque a reliquis Chriſtianis Principibus hac in re ſejunctus eſſe vellet. Quod ſi tentatis omnibus amoris, & benevolentiæ officiis, nihil ſe proficere viderent, tum quidem non negabo, ſuaſiſſe me ut minas etiam adderent, & ab omni cum eo uſus & commercii genere prorſus abſtinerent.* Quod autem in eo negotio nihil agere Pontifex ſtatuerit, niſi conſociatis cum utroque eo Principe conſiliis, quodque iſti ad opem religionis cauſæ, eo auſpice, ferendam ſe paratos eſſe pluries, & diſer-

te conteſtati fuerint; hæc, inquam, adeo patent ex Poli Epiſtolis, ut nulla fere ſit, quæ & illius Pontificis propoſito, & Principum illorum pollicitationibus teſtimonium non perhibeat. Illæ etiam addunt, Polum inſtitiſſe, ut ipſe, ad Regem Chriſtianiſſimum profecturus, certum aliquod de prona Cæſaris voluntate documentum afferre poſſet, cujus ſi compos factus fuiſſet, nihil tunc ei foret dubitandum, adventum ſuum illi Regi gratiſſimum futurum, ut de ea re certiorem ſe feceratPontificius apud eum Ablegatus: *Quod* (inquit) *quo pacto fieret, niſi aut Cæſar per literas hoc ſignificaret, aut certum hominem ex ſuis una mecum, qui hoc teſtaretur, ad Regem mitteret, ipſe quidem nihil video.* Ita ipſe in Epiſtola ad Contarenum, in qua conſequenter ſubdit: *Et quid minus a Cæſare poteſt poſtulari, præſertim cum verbis hoc jam promittat facturum?* Ad hæc ipſa geſtæ a Polo in Hiſpania Legationis tempora ſpectat novum ſingularis moderationis argumentum a Paulo III. editum. Imprimendum Pontifex curaverat, Polo inſciente, dum Roma is abeſſet ea fungens Legatione, Opus ab eodem compoſitum de Eccleſiaſtica Unitate; at veritus, ne, in manus hominum veniens, Henrici animum magis, magiſque in furias ageret, Polo ex eadem reduci libenter indulſit, ut quod ſatis eſſet ſpatii ad proœmium eidem apponendum caperet,

atque

atque interim ejus libri exemplaria apud eorum Auctorem cuſtodirentur. Inde autem conſequutum eſt, eadem toto PAULI Pontificatus tempore ſuppreſſa latuiſſe; quod profecto demonſtrat, optimum hunc, & ſapientiſſimum Principem caviſſe, ne impoſitam Henrico plagam, quam remediis ſanare non poſſet, irritamentis exaſperaret.

Ejuſcemodi Principum dictis, etſi ea ipſorum facta non reſponderint; quæ religionis utilitas exigebat, reſpondit tamen quadantenus aſſenſus, quem iidem præbuerunt, ut ſuis in ditionibus Pontificia illa ſententia publice expoſita compareret. Aſſenſum illum in dubium revocare non eſt auſus Burnetius in ſua Nicolai Sanderi, qui Anglicani Schiſmatis Hiſtoriam conſcripſit, refutatione: *En cela* (ait ille) *il rend un bon office au Siege de Rome; puſqu'il tranſmet a la poſterité un témoignage, que trois Souverains* (præter Galliam, & Belgium, in Scotia quoque ea ſententia fuerat vulgata) *ont reconnu dans le Pape la puiſſance de depoſer les Roys. Mais il eût mieux fait de dire ſimplement, que les Papes ont ce droit, que d'en raporter une preuve auſſi foible que celle-la.* Quam probationem ut vere infirmam demonſtret, affert exemplum Excommunicationis in Reginam Angliæ Eliſabetham Londini affixæ, quin tamen inferre liceat, *que la Reyne Eliſabethe a eſté d'intelligence avec le Pape*

qui

qui l'excommunia. At nullius omnino roboris esse exemplum istud, etsi multifariam ostendi posset, satis certe constat ex narrata superius inter Pontificem, & Principes illos in negotio, de quo modo agimus, consiliorum communicatione, quam nemo dixerit intercessisse inter Elisabetham Reginam, & Pium V. Pontificem, qui excommunicationem illam intentavit. Quod vero subdit Burnetius: *Un homme ne raisonnera-t-il pas plus juste, s'il conclut, que puisque ces mêmes Princes continuérent de vivre avec une bonne intelligence avec Henry, ils mépriserent la sentence du Pape*. Ratiocinationem hanc a Burnetio propositam refelli ab Abbate Joachimo le Grand in Opere, *Histoire du divorce de Henry VIII. T. II.* prodidi in Diatriba mea altera, ibique adnotavi, Scriptorem hunc (qui ipse ille est, cujus verba paulo ante, tacito nomine, recitavi) acceptissimum fuisse, dum viveret, Parisiensis Aulæ Primatibus, quorum aliqui, & ii præsertim, quorum erga me Lutetiæ triginta & amplius ab hinc annis plurima existerunt officia, plena suavissimi studii, sospites modo supersunt; hosque utinam diutissime adhuc Deus sospitet. Hic vero juvat fusiorem ex eo ipso Scriptore locum exscribere, qui hujusmodi est: *Le raisonnement de Monsieur Burnet est fort specieux, & il auroit toute la vrai-semblance imaginable, si les*

Prin-

Princes étojent toûjours bien inſtruits de leurs intereſts, ou plûtôt s'ils ne préferoient pas, comme les autres hommes, l'utile & le preſent à l'honneſte, & au futur. On a vû par la Letre de Caſtelnau Evêque de Tarbes, la propoſition qui fut faite à François I. de la part de Charles-Quint, de s'armer conjointement avec le Pape contre l'Angleterre. François premier écouta la propoſition, comme je le voy par les Letres de Monſieur de Marillac, qui luy mande que les Miniſtres Anglois ſe plaignant du refroidiſſement qu'ils appercevoient dans ſon amitié, diſoient, que comme ils avoient ſçu &c. Poſtea recitat ex aliis ejuſdem Marillacii literis verba iſta, Henrici Regis pavorem teſtantia: *Pour réparer les erreurs paſſées, ou bien pour ſatisfaire à ce peuple & aux Potentats Chrêtiens, qui pourroient par là prendre occaſion de luy courir ſus, il a remis ſus toutes les opinions & conſtitutions anciennes, excepté ſeulement l'obeiſſance du Pape, & reduction des Abbayes & Egliſes dont il a pris le revenu.* Ac demum concludit: *On voit par là ſi les Princes aprouvoient, ou non, la conduite de Henry; s'ils n'apuyoient pas les deſſeins du Pape. Auſſi François & Henry entrans en défiance l'un de l'autre, commencérent à ſe fortifier & à ſe préparer a la guerre.* Quoniam igitur in controverſiam vocari nequit Principes illos probaſſe PAULI III. conſilia,

in-

infelix eorundem ſucceſſus nihil officiet, quominus illa profecta fuiſſe intelligantur ab animo & Pontificiæ poteſtatis pro viribus tuendæ ſtudioſo, qualem certe decebat ſupremum religionis Antiſtitem profiteri, & una ſimul alieno a Principum juribus lædendis, turbandaque inter Sacerdotium, & Imperium concordia. Hanc contra peſſimo inducto exemplo convellere in Angliæ Regno auſus fuit Henricus ille, iſta etiam de cauſa omnium Principum, omnium gentium, omnium ſæculorum vituperatione digniſſimus.

Tandem vel abſque aliarum probationum ſubſidio PAULI III. in Anglico negotio admirabilem ſapientiam, dum eam Henricus, ſcelera ſceleribus cumulando, tentare nunquam deſiſteret, commendat ipſum anathematis diploma, ſive additamentum ipſi factum poſt decretam illius promulgationem, nam ita incipit: *Nos qui, ut hominum natura fert, facile credebamus, quod deſiderabamus, dictam executionem ſuſpendimus: ſperantes, ut nobis ſpes data erat, ex ipſa ſuſpenſione correctionem, & reſipiſcentiam, non autem pertinaciam, & obſtinationem, ac majorem delirationem, ut rei effectus edocuit, proventuram. Cum itaque reſipiſcentia & correctio hujuſcemodi, non ſolum poſtea ſequuta non ſit, ſed ipſe Henricus Rex quotidie magis ſe in ſua feritate, ac temeritate con-*

firmans, in nova etiam ſcelera proruperit, &c. Piaculum Henrici in S. Thomam Cantuarienſem, quod Pontifex amaris illico verbis deſcribit, nec Sarpius diffitetur, quin iſte juſte fuerit exſecratus; at quod, eo ejuſdem diplomatis verbis expoſito, addit, *ce qui étoit toucher à un des myſteres du Pontificat bien plus important que le concile même*, haud vel ipſius Courayeri ſuffragium promeruiſſe videtur; imo non abs re erit credere, hunc in ea inſectatione deprehendiſſe *un peu trop trop de malignité*, ut ejus verba ſuperius recitata uſurpem. Namque nihil habet ille de eo myſterio in ſuis notis, & ſolum adnotat quæ ſequuntur: *Je ne ſcais a qui en veut le Cardinal* (Pallavicinus) *d'accuſer ici* Fra Paolo *d'approuver tous les excès de* Henri VIII. *Il n'y a pas un mot dans tout le recit de notre Hiſtorien qui puiſſe faire ſoupçonner qu'il approuva les fureurs de ce Prince. Il raconte ſimplement le fait, & les reflexions qu'il ajoute ſont plus propres a faire honneur a' la prudence de* Paul *qui le fit differer ſi long tems cette Bulle, dont il prévoyoit bien, qu'il ne devoit attendre aucun ſuccès, qu'a juſtifier le Prince contre qui la Cenſure étoit portée*. Poſtrema hæc verba tantum abſunt a veritate, quantum abfuit ea Cenſura ab Henrici criminibus diſſolvendis, ſeu ab Henrico purgando, ſaltem penes Carolum Cæſarem, & Franciſcum Galliarum Regem, quod facile ediſcere poterit

terit Courayerus ex iis, quæ ſuperius paulo ante a me ſunt allata de communicatis inter ambos eos Principes, & Pontificem conſiliis ad minas & vim adhibendas, quibus Rex ille adductus ad cor demum redire cogeretur.

Sarpii autem verba illa, *c'étoit toucher à un des myſteres du Pontificat*, ſatis refutantur ex iis, quæ in Poli Apologia ad Carolum, a me primum edita, habentur; nam ibi de perpetrata ab Henrico in corpus S. Thomæ impietate deſcribuntur quæ profecto legentibus terribilem horrorem incutiant, ac proinde myſterium non commentitium Romani Pontificatus, ſed germanum iniquitatis Satanicæ repræſentant. *Audiviſti vero* (ita ille incipit) *Cæſar, nec enim rem obſcuram, aut ignotam profero, ſed propter inſignem & ſingularem impietatis rationem, omnibus notam & divulgatam. Audiviſti, quæ in ſacrum illud ſacrati hominis corpus, in Divi Thomæ ſepulchrum, & corpus, impietatis indicia edidit. Audiviſti primum hoc ſacrilegii genus, cum Mauſolæum tot donariis Regum, Principum, & populorum refertum diriperet, & ſpoliaret. Sed de hoc non loquor.* Et paulo poſt: *Verum ut poſtea hominis oſſa* (*nihil enim hic amplius dicam*) *tot ante eum ſeculis mortui erueret, igni traderet, in cinerem redacta, per contumeliam poſtea in ventum ſpargeret, an ullum ſimilis crude-*

lita-

litatis exemplum inter homines unquam eſt lectum? Certe ſi ipſe, qui in hiſtoriis aliquando legi, ſententiam proferre debeo, vix credo, ſi inveniri poſſent ab aliquo Trojano oſſa ejus, qui primus flammam ad comburendam Trojam excitavit, poſt tantum temporis intervallum adeo crudelem futurum, ut in oſſa ejus ſæviret, ut ſemel ſepulturæ tradita ex ſepulchro ejiceret. Ac inſuper: *De Herode crudeliſſimo Tyranno a quibuſdam ſcribitur, Jo. Baptiſtæ oſſa in cinerem redacta, & in ventum ſparſa. Hujus fortaſſe exemplum eum monuit, quod tamen nec impietate, nec crudelitate cum hujus facto eſt comparandum. Ille enim quod fecit, etſi crudeliter, in inimicum fecit, & eum, qui eum læſerat, conjugium illius palam improbaverat, non fecit in eum, quem aliquo adhuc miraculo Deus oſtendiſſet ſibi carum eſſe; nec enim tunc Joannes miracula ediderat. Ideo nec impietate cum hujus facto comparandum, quod erga Dei amicum, tot ſeculorum conſenſu probatum, tot miraculis confirmatum, & eum, qui, ut nunquam læſerat, ſic nec lædere poterat, quoniam tot ſeculis & natus, & mortuus erat, ac in Cœlum receptus, & ſemper pro ſingulari ornamento, & Patrono Regni habitus.* Addit tandem eo execrabiliorem judicandam eſſe Henrici VIII. impietatem, quo laudabilior haberi debet Henrici II. religio in peragenda pœnitentia

cœdis ejuſdem S. Thomæ. Inter pœnitentiæ autem ejus ſigna affert murum magno ſumptu ab ipſo erectum ad D. Pauli Templum, qui ſua quoque ætate extaret, cujus tamen noſtra nullum comparet veſtigium. Eam Apologiam, alibi monui, Polum in otio Carpentoractenſi lucubraſſe, imperfectamque eandem reliquiſſe, ac pro ipſa Apologiam aliam, inſcriptam ſcilicet Regi Eduardo, Operi ſuo de Unitate Eccleſiaſtica præmittere conſultius exiſtimaſſe, dum poſt obitum Regis Henrici, de illo in lucem proferendo ageretur, Auguſtano præſertim Cardinale, Otthone de Trucſes inſtante.

Demum Caput concludens, Lectores, apertius quam antea fecerim, hic monendos puto, ex concordibus adverſus Henricum conſiliis inter ſe initis a PAULO Pontifice, Carolo Cæſare, & Franciſco Rege, omnino conſequi, Principum iſtorum jugulum peti eo ipſo telo, quod in ſolum PAULUM vibrare ſe autumant Ultramontani Theologi plerique, ac Juriſconſulti clamantes, *eum Pontificem in condendo diplomate illo ſuo non ad doctrinam, & traditionem Eccleſiæ Romanæ, ſed duntaxat ad ſtylum, uſumque Romanæ curiæ attendiſſe.* Quibus Theologis, & Juriſconſultis hæc Sadoleti in Epiſtola ad Cochlæum regeram verba: *Utinam tam mores noſtri probati eſſent hominibus, quam eſt Pontificis poteſtas ſine ulla dubitatione maxima.*

CA-

CAPUT IV.

De curis PAULI *III. pro Ecclesiæ reformatione, Concilii Oecumenici convocatione, concordia Principum Christianorum, horum fœdere adversus Turcas, deque itineribus ob eas ipsas causas, ætate admodum senecta, ab eodem susceptis.*

SADOLETI verbis quemadmodum proxime præcedens Caput absolvi, ita præsens exorsus, Deo omnipotenti maximas, meritasque gratias agendas esse fateor, *qui populo suo tam necessario tempore, talem Pontificem præficere est dignatus.* Hæc ille de PAULO III. in gratulatoria ad eum Epistola, qua Christianis omnibus nationibus, potius quam eidem ad fastigium illud evecto, mirum in modum plaudit, quod Pontificem sint nactæ, integra fama, summa virtute, singulari sapientia præditum, habiturumque amplam facultatem sese in maximis humani generis utilitatibus, & commodis exercendi, Pontificem talem, cujus electio non hominum consiliis, sed divinitus facta vel ex hoc uno noscì posset, quod nullo prævio Comitiorum æstu illa contigerit, quo ipso die ea inchoata fuerunt; ea enim, ut interpretatur idem Sadoletus verbis initio Cap. I. laudatis, celeritas renuntiationis manifesto documento fuit, tarda molimina nec rei, nec temporibus convenisse, siquidem tanta, tamque eximia virtus, quanta in

PAU-

PAULO III. ſemper fuit, ad tantos rerum motus, quibus Reſp. jactabatur, quoad homini liceret, cohibendos, quam primum, & quam maxime foret neceſſaria. Cui divino conſilio, ſummæque hominum de ſe expectationi, Sanctiſſimus ille Pater vel primis accepti honoris diebus reſpondere ſtatim aggreſſus, Paſtoralem ſollicitudinem ſuam mox in eas omnes partes diffudit, in quas pervadere oportebat Pontificem, orbis terrarum univerſam ſalutem animo complectentem. Primæ omnino ejuſdem Pontificatus curæ cujuſcemodi fuerint, Sarpium teſtantem audiamus: *Dans le premier Conciſtoire qu' il tint le* 12. (13. corrigit Courayerus ex Raynaldi Annalib.) *de Novembre il remit ſur le tapis l'affaire du Concile, & dit: Qu' avant toutes choſes il falloit procurer l'union des Princes Chrétiens, ou du moins qu' il donnaſſent quelque aſſurance que pendant le tems de ſa tenue ils ne prendroient point les armes: Que pour cet effet il vouloit envoyer à tous des Nonces pour traiter avec eux de cet article, & de tous les autres, dont les Cardinaux avoient fait mention. Il rappella auſſi d' Allemagne* Verger, *pour être informé de l' état des choſes en ce païs, & députa les Cardinaux de Sienne, de S. Severin, & Ceſis, tirés des trois ordres du ſacré Collége pour delibèrer ſur l'affaire de la reformation. Il ne tenoi même aucun Conciſtoire, où il ne parlàt long-tems*

ſur ce ſujet, & où il ne répétât ſouvent qu'il étoit néceſſaire de commencer la réforme par ſa Cour, & principalement par les Cardinaux. Hucuſque Sarpius ad Hiſtoricæ veritatis fidem, a qua tamen abludunt quæ a malevolis in vulgus ſpargebantur adverſus PAULI ſermones illos, quos aliqui *prenoient* (ſubdit Sarpius) *pour un artifice, croyant qu'il n'en uſoit ainſi que pour engager ſa Cour & les Cardinaux a faire naitre des obſtacles au Concile.* Abludunt, inquam, & quidem vehementer, nam rectiſſimam Pontificis in utroque illo negotio voluntatem ſeries Geſtorum ejuſdem in Raynaldi Annalibus expoſita, & in Pallavicini Hiſtoria adverſus Sarpium vindicata, apertiſſime comprobat, nec levioris ponderis erunt ad eam ipſam evincendam teſtimonia, quæ ex Poli Epiſtolis, ut inſtituto meo adhæream, in medium modo proferam.

Plura illæ produnt de ſuſcepto a PAULO III. conſilio, in ipſis Pontificatus primordiis, doctos ſcilicet, ſanctoſque Viros Romam accerſendi, quorum opera corrigeretur, ac reſtitueretur Eccleſiaſtica diſciplina, expeditiorque cogendi Œcumenici Concilii via aperiretur, oſtenduntque propterea ab omni prorſus veriſimilitudine nihil magis alienum dici poſſe, quam PAULUM III. ſanctas illas cogitationes, de quibus Sarpius, cum Cardinalium Collegio communicantem, nihil minus, quam de felici earundem

exi-

exitu fuiſſe ſollicitum. Simulationis larva, ſi quam ille ad eam rem induiſſet, non erat cur eundem adigeret ad capienda ita operoſa, ita ſumptuoſa conſilia, cujuſcemodi fuerunt, Caraffam, & Corteſium, Venetiis advocare, Polum Patavio, Gibertum Verona, Eugubio Fregoſium, demum e Gallia Sadoletum: quibus omnibus tres alii, qui Romæ aderant, adjuncti, ſcilicet Contarenus, Aleander, Badia, celeberrimum illum Conventum conflarunt, quo certe non alius doctior, non alius ſapientior cogi potuiſſet. Tanta, inquam, molitione PAULI ſolertia non eguiſſet, ſi id unum ipſi ſtatutum foret, ut homines in iis rebus ludificaretur. Sincero contra ſtudio, candidoque omnino pectore Pontificem in Viris illis evocandis proceſſiſſe, illud etiam ſatis oſtendit, quod Sanctæ Obedientiæ præceptum, ne iidem fas ſibi eſſe putarent, vocanti non auſcultare, aut ſaltem moras nectere, adjungendum ille putaverit. Ejus præcepti mentionem faciunt PAULI ipſius literæ, inter quas ad Polum exaratæ; nam harum hæc eſt clauſula: *Cum æſtivus fervor pauliſper refrixerit* (*quod ex commodo tuo fiat*) *Romam te conferas apud nos, una cum cæteris electis, ac accitis, qui eodem diligentia, ac ſtudio noſtro convenerint, tam utile & neceſſarium opus adiuvaturus, quod quoniam publice expedit, ſummeque eſt opportunum, in virtute quoque*

ſan-

ſanctæ Obedientiæ hoc tibi mandamus. Vinculum hoc, quo PAULUS literis ſuis pondus addidit, ne evocati tergiverſarentur, æque idoneum eſſe deberet frænandæ eorum impudentiæ, qui laudatiſſimis ejuſdem ſtudiis obſtrepere, ſuſpiciones malevolentiæ plenas in vulgus ſpargendo, non verentur. Eo Polus quum ſe obſtringi ſenſiſſet, ſtatim Pontificiis mandatis morigerum ſe præbuit, miratus primum incredibilem erga ſe PAULI III. benignitatem: *Ut enim* (inquit Apoſtolicis literis illis reſpondens) *cæteræ cauſæ adeſſent, quæ maxime deſunt, quæ T. S. ad me accerſendum adducerent, illud quidem certe, quod alias abs Te non minore benignitate per literas accerſitus, non venerim, ſed cauſas, & tergiverſationes quæſierim, non modo Te ab eo, ut me cum honore accerſeres, alienare, ſed ultro etiam venientem repellendi juſtiſſimam cauſam præbere potuit. Nunc vero, ne iterum ſubterfugerem, Te proſpexiſſe video, qui me ſic iſtis literis adſtrinxeris, ut niſi obedientiæ vincula omnia erga Chriſti Vicarium prorſus rumpere velim, nullus ſit omnino tergiverſandi locus, quod abſit, ut unquam coner.* At recitare præſtat reſponſi illius etiam initium: *Ad VI. Calend. Auguſti accepi literas Sanctitatis Tuæ, ex quibus ea primum intellexi, quæ me totum ad gratias Chriſto agendas converterunt, quod talem animum Vicario ſuo, & paſtori ovium ſua-*

rum dederit in convocandis ad omnium ſalutem Principibus gregis, qualem jam multos annos cum univerſus Chriſtianus populus optaret, & ſummo ſtudio flagitaret, quod in eo remedia omnia, quæ tot malis, quibus miſere premitur, mederi poſſent, poſita eſſe viderentur, nullum tamen ante hoc tempus tam ſalutaris deſiderii ſui ſolatium habere potuit. Itaque nunc tua voluntate patefacta, cum maxima, ac prope certa ſpes oſtendatur, brevi fore, ut voti compos efficiatur, non poſſumus non maximas gratias Chriſti benignitati agere, & Tuæ inprimis felicitati gratulari, cui hoc tam ſalutare, & omnibns gentibus plauſibile munus a Chriſto, cæteris quaſi præteritis, reſervatum videmus. Munus illud Paulo III. a Deo Opt. Max. reſervatum fuiſſe Polus ergo clare perſpiciebat; at contra Heterodoxi, & nonnulli etiam ex noſtris, acutius ſe cernere jactitantes, technas, fraudes, calliditates ſibimet ipſis fingunt, quas Sanctiſſimo illi Pontifici attribuant. Extat pluribus typis excuſa ea Novemviralis Conſultatio, & quot in eadem a doctis illis Viris digeſta leguntur Reformationis capita, tot adſunt tam illorum, quam Pauli Pontificis non ſeriæ tantum, ſed ſanctiſſimæ in Chriſtiana Rep. inſtauranda voluntatis, & propenſi maxime ſtudii argumenta. Quodnam judicium ferendum ſit de libello, quem hoc titulo prænotatum, Conſi-

lium

lium delectorum Cardinalium de emendanda Ecclesia, damnatum reperimus in Romano Indice, adeo multis in utroque meo Volumine differui, ut supervacaneum sit, rem illam hoc loco rursus expendere. Quare solum addam, Launojum in Inquis. in Privileg. Præmonstrat. Ord. aperte de eo Consilio ita scribentem: *PAULUS III. Consilium hoc non ingratum habuit, nec improbavit Joannes Petrus Caraffa Card. Theatinus, postquam Romanus Pontifex nomine PAULUS IV. evasit, nec pervulgatus librorum prohibitorum Index confixit. Oppugnarunt Lutherani quidam, sed Joannes Cochlæus edito libello defendit*; hæc, inquam, scribentem, ostendere sibi haud comperta fuisse quæ de Consilii illius fortuna in medium attuli, ubi de eodem egi, omni studio conatus, ut proscriptio, quæ revera in Romano Indice legitur, cadere potius censeatur in Consilii ejusdem explicationes sive ab Heterodoxis, sive a nostris evulgatas, quam in Consilium ipsum. Hoc a PAULO III. plene probatum fuisse certos nos facit ejusdem Editio, quæ cum ipsius Pontificis stemmate e Romanis typis Antonii Bladi Impressoris Cameralis an. 1538. comparuit; & hæc quoque juxta ac proscriptio illa (quod satis mirari nequeo) non Launojum modo, sed tam veteres, quam recentiores plerosque omnes Scriptores latuisse, ut ibidem adnotavi, dignoscitur. Aliud probati a PAULO Consi-

lii ejuſdem argumentum ſuppetit nobis ex delata intra paucos annos Novemviris illis Romana Purpura, omnibus nimirum præter Contarenum, qui ea donatus jam fuerat, & Gibertum, a quo recuſatam fuiſſe haud levis conjectura eſt, de qua ego in Diatriba altera ex doctiſſimis Giberti Operum nuperis Editoribus. Hæc omnia excogitaſſe & re ipſa perfeciſſe Pontificem ut ſcenæ tantum ſerviret, animo autem *pour engager ſa Cour & les Cardinaux a' faire naitre des obſtacles au Concile, a fin d'eloigner par la' la reformation*, hoc certe affirmare quis nequit, quin prius verecundiam omnem exuerit. Paucos dumtaxat menſes poſt habitum Conventum, de quo modo dictum eſt, quonam novo documento PAULUS III. comprobaverit, nihil ſe antiquius habere, quam Reformationis opus ad exitum perducere, teſtis adeſt Contarenus in Epiſt. ad Polum data die 12 Maii 1537. *Pontifex* (inquit) *aggreſſus eſt Reformationis negotium; cœpit a ſe ipſo, elegitque quatuor Cardinales, Simonetam, Ginnucium, Theatinum, & me, quibus injunxit, ut diligenter videamus, & corrigamus ea, quæ expediri conſueverunt per Datarium. Nos non deerimus officio Chriſtianorum præſulum. Omnes fere Reverendiſſimi Cardinales favent Reformationi; incipit immutari facies Conſiſtorii, ea quæ proponuntur non ita facile expediri incipiunt, Cano-*

nes proferuntur, perpenditur quod fieri debet, & quid non fieri; adeo ut magnam ſpem, non dicam conceperim (quia nunquam deſperavi) ſed foveam, res noſtras quotidie melius proceſſuras. Summopere cupio te, ac Reverendiſſimum Carpenſem, nobis adeſſe, ut pluribus operam dantibus Reſp. Chriſtiana facilius inſtauretur. Ex eadem Contareni Epiſtola diſcimus veram cauſam, quæ Pontificem impulit ad differendam Concilii Mantuæ indicti convocationem uſque ad Calendas Novembr. anni, cujus notam eadem præfert, quod ſcilicet Dux Mantuæ petiiſſet a Pontifice mille & quingentos pedites alendos Pontificis pecunia ob civitatis Mantuanæ præſidium, *quæ res* (inquit) *viſa eſt allatura fuiſſe calumniam nobis, utpote qui nollemus Concilium liberum, ſi armati hoc præſidio veniſſemus.* Merito igitur Sarpio aliam afferenti cauſam, juriſdictionis ſcilicet, quam Mantuæ Dux exercendam contenderet a ſuis, non vero a Concilii adminiſtris, Pallavicinus contradicit, nec ab hoc diſſidet Courayerus, monens tamen, in Bulla Indictionis Tridentinæ verba quædam legi, Sarpii narrationi haud parum conſentanea. Mihi vero ſatis eſt in Contareni Epiſtola illa adnotare, juſtis ſemper de cauſis adductum fuiſſe PAULUM Pontificem ad Concilium differendum, etſi ſincera prorſus voluntate tam illud quam Eccleſiæ Reformationem exoptaret.

Con-

Contarenus enim de ea re teſtimonium perhibens, haud certe idoneus fuit, cui quiſquam in hujuſmodi negotiis, quæ Romæ tractabantur, fucum faceret, aut ipſe fuco aliis faciendo accommodatus, quem videlicet jure Pallavicinus lib. IV. cap. V. pro Sacri Collegii Catone habitum fuiſſe affirmat, ubi de eo loquens, in hunc modum ſcribit: *Quel famoſo Catone del Collegio, e nulla diſſimulatore dell' imperfezioni conoſciute nel Clero, e nella Corte, come teſtificano e gli Scritti di lui, e gli altrui Scritti ſopra lui.* Eam Pontificis ſinceritatem adeo Polus quoque pro certa habuit, ut die 20. Maii anni illius 1537. Contareno, qui reditum ſuum e Belgio Concilii cauſa urgebat, ita ſcripſerit: *Jubet, ut, quod commodo meo, & cauſæ facere poſſim, reditum maturem, ut in ſacro Concilio Mantuæ celebrando præſto eſſe poſſim, quo ut ex ratione dierum colligo, multo ante Sanctitatem Tuam puto perventuram, quam ei hæ literæ reddi poſſent.* Præterea reſpondens Contareni Epiſtolæ paulo ante laudatæ, valde animum ſuum exhilaratum fuiſſe fatetur, certior ab illo factus, *Pontificem ardenter perſeverare in ipſo ſuo inſtituto, & optimo ſuo animo de Reformatione.*

In eo utique PAULUM Pontificem vere perſeveraſſe teſtatus eſt idem Polus Romam e Belgio redux in pluribus literis ad Cardinalem Leodienſem exaratis,

tis, quæ omnes in unico argumento verſantur, in facultatibus ſcilicet admodum amplis, quas illi Polus a Pontifice impetravit, ut conceſſam Legati de latere poteſtatem ad Cleri ſui reformationem in Exemptos etiam libere poſſet exercere. Inter cætera hæc habet: *Maxime delectari Ejus Sanctitas hoc ſermone eſt viſa, quæ eundem animum erga Reformationem univerſalis Eccleſiæ oſtendit, quem Illma D.V. erga ſuam. Sed cum quaſi parvum navigium tranquillo mari ſit Eccleſia Illmæ D.V. facile fructum tam pii deſiderii omnes ſentiant, Illuſtriſſ. D.V. brevi, ut ſpero, faciet, quod in tam magna navi, tot fluctibus agitata, qualis eſt Eccleſia univerſalis, tametſi Sanctitas Ejus fructum ſemper amittere non poteſt tam piæ voluntatis, tamen ſentiri non tam facile poteſt, præſertim cum tam multos præterea hoſtes habeat. Sed Sanctitas Ejus quo plura impedimenta videt, hoc plus juvabit. Nunc habet hoc ſacrum fœdus, quo Turcas eſt aggreſſus una cum Venetis, & Cæſare. De Concilio vero generali proximo menſe Majo incæpturo, nulla res ſpem ejus poteſt diminuere, quanquam hæc bella inter Principes videntur debere omnem ſpem tollere. Sed Sanctitas Ejus optimam ſpem concepit etiam de pace, quam non ceſſat ſollicitare, & per novos Nuncios ſuos, quos poſt meum huc adventum ad utrumque Principem,*

&

& per Venetos, qui etiam ex ſuis, quod alias non fecerunt, duos Nobiles per equos diſpoſitos ad utrumque etiam Principem miſerunt, ac Sanctiſſ. Dom. Civitatem Vicentinam, Concilio celebrando maxime idoneum locum, conceſſerunt. Datæ ſunt eæ Epiſtolæ partim deſinente an. 1537. partim ineunte an. 1538.

At nulla ex Poli Epiſtolis, quas prima duo Collectionis earum Volumina offerunt, magis comparata ad comprobandas fervidas PAULI III. curas in univerſam Chriſtianæ Reip. ſalutem, quam binæ datæ ad Camillum Urſinum, prior quidem die 14. Januar. 1538. altera die 21. Mart. ejuſdem anni. Camillus ille, de quo in ejus Vita Italico idiomate conſcripta ab Joſepho Horologgio, ac Venetis typis edita an. 1566. diſertis verbis affirmatur: *Che Camillo Orſino ſia ſtato non pure il magior huomo che naſceſſe dell'Illuſtriſſima familia Orſina così nei maneggi di guerra, come nei governi de popoli, ma ancora che fuſſe mai in tutta Italia*, tanta præterea Chriſtiana pietate inſignis fuit, ut in ipſo Polus reveritus ſit ſanctiſſimum morum præfectum, cui proinde, & nemini magis, conſcientiæ ſuæ latebras aperire in iiſdem literis comperitur. At quod ſpectat ad hujus Capitis argumentum, eæ ipſæ, ut dixi, certos nos reddunt, PAULI III. in maximis terrarum orbis curandis utilitatibus ita incenſum, ita

fer-

fervidum fuiſſe ſtudium, ut nihil magis in ipſo deſiderari potuiſſe ſibi facile perſuadere poſſint veritatis amatores. Eas literas, quas a Camillo Polus acceperat, cenſuit iſte potius, quam literas, conſiliorum, atque exhortationum volumen, hocque nomine eaſdem inſignivit, ut conſtat ex ipſius reſponſo. Quare eidem conſultius viſum eſt, plura earundem exemplaria confici, quæ ſcilicet cum Contareno, & Caraffa communicaret; nam ambos iſtos in negotio tractando cum Pontifice Polo conſortes eſſe Camillus optaverat. Æque etiam omnes inter ſe conſortes fuerunt in judicando, earum literarum ſcribam dumtaxat fuiſſe Camillum, authorem vero illum, qui mutos loqui facit, & ora obſtruit diſertorum, cujus nempe tota foret cauſa illa, quæ in literis illis tractabatur. Itaque ſic perſuaſum habentes, Pontificem eo die, quem iſte iis conſtituerat, adeunt, referenteſque eidem copioſiſſimarum earum literarum ſinguli partes ſingulas (nam tripartito illas inter ſe diviſerant) auditi primo fuerunt maxima cum animi intentione a SanctitateSua, deinde ab ea reſponſum tulerunt, cujus ſummam nobis ſervavit una ex binis illis Poli Epiſtolis, habendam utique ceu monumentum auro contra æſtimandum, ac propterea dignum, quod recitatis ipſiſmet Poli verbis huc afferatur. Ea hujuſmodi ſunt: *Cujus* (Pontificis reſponſi) *ſumma hæc fuit*: *Cum plu-*

plura in dies divina bonitas ſuæ voluntatis indicia, in reſtauranda afflictæ Eccleſiæ ſalute præbeat, quæ quotidie magis magiſque omnium bonorum animos ad majores gratiarum actiones accendere debent, tum vero in iis non minimum ſignum, vel potius maximum ſe agnoſcere, quod de abundantia divinæ gratiæ, effuſione ejus in te ſpiritus accepit. De quo etſi magnam cauſam habet præter cæteros gratulandi, vel antiquæ amicitiæ, vel propinquitatis, quod in te ſanguine ſibi conjuncto hanc tantam ſuam miſericordiam oſtendere eſt dignatus, tamen multo majorem eſſe lætitiam, quam, ut Paſtor Eccleſiæ univerſalis, hac de re accipit, in cujus bonum publicum, & commune, hæc in te dona Chriſtum Eccleſiæ Sponſum effudiſſe ſibi perſuadet, & eo magis, quod videt, quantum Reſpublica Chriſtiana opus habet his temporibus tali & Viro, & belli duce, cum contra infideles ſit pugnandum. Adeo ut, ſi de quoquam, adjuvante Dei gratia, magna ſperare debet, de te quidem maxima, cui Deus ea ſpiritus dona dederit, quæ in tuæ profeſſionis hominibus jam multis ſæculis non ſunt viſa, & in te cum ſumma omnium admiratione divinæ miſericordiæ, & potentiæ tanquam variſſimum miraculum ſpectabantur. Quare ſe primum infinitas gratias infinitæ, & inexhauſtæ Dei benignitati agere, qui tali tempore de

tali

tali duce Ecclesiæ suæ prospexit, quali maxime populus Dei eget, cum contra infideles arma sunt sumenda, qui non tam armis carnalibus, quam spiritualibus contra eos uti possit, qualem prorsus te esse judicat, a Deo ipso Ecclesiæ datum, qui docuit manus tuas ad prœlium, & digitos tuos ad bellum, ut non tam peritia armorum hostes vincere, & delere, quam spiritus potentia, victos salvare, & ad Ecclesiæ corpus adjungere, quod Christiano duci maxime est sperandum, omnes merito de te sperent; hac autem spe præter cæteros se maxime frui cum ingenti gratiarum actione horum tantorum in te donorum authori, qui hanc spem de te excitavit. Deinde quod ad consilia, & exhortationes tuas attinet, primum de adhibenda maxima cura, ut sana doctrina ante omnia in Ecclesia retineatur, & ut interioribus malis primum succurratur, deinde exterioribus; sic quidem Ejus Sanctitas respondebat: Etsi nulli rei magis studere se, quam ut hæc ipsa, & hoc modo fiant, quod summum Dei beneficium agnoscit, qui ante omnia Concilii universalis indicendi voluntatem, & pacis inter Principes procurandæ studium, semper post commissam curam universalis Ecclesiæ maxime infudit; tamen hanc ipsam exhortationem sic gratam esse, ut, quasi Deō per te exhortante, quo enixius laboret, in eo, in

quo unquam nimis magnum ſtudium poni poteſt, eandem libentiſſime, & cum ſumma gratiarum actione audiat, quam videt, quanto ardore ſpiritus, & caritate in Deum, & Eccleſiam, atque quanta animi ſollicitudine ſcripſerit. Qua in re, ut habeas interim, quo te ſpe etiam magna conſoleris, hunc optimum nuntium de induciis iſtorum Principum, præter omnium ſpem, cum maxime inter eos bellum ardere, & repentino Regis Chriſtianiſſimi in Italiam cum maximis copiis tranſitu, videretur, ut ad te ſcriberem juſſit, atque hoc etiam adſcriberem de ſua ſententia: etſi induciæ appellantur, tamen ea ſane ſe de his induciis ſcire, ut verius pacis, quam induciarum nomen habere poſſent. Quare jubere te nunc, ut bono animo eſſe pergas, de reliquis conforteris in Chriſto, & ſis robuſtus; habere te nunc, quod maxime in tuis literis optabas, pacem Principum, & quietem armis, quam ſequuturam ſperat eam quietem in religione, quam omnes præcipue deſiderare debemus, cujus procurationi, quam nunquam intermiſit, ſe nunc eo enixius operam daturum, quo magis hac porta a Deo aperta per pacem inter Principes, ſe ad hoc magis invitari agnoſcit. Quod vero ad Illuſtriſſimos Dominos Venetos attinet, quos præcipue adjuvari ab Ejus Sanctitate in hoc ſancto bello optas, & deberi adjuvari multis rationibus oſten-

dis

dis, ſic quidem ſe paratum eſſe in omnibus, quæ opus habent, omni auxilii genere illis adeſſe, ut, quod tu maxime cupis, de bonis Eccleſiæ fieri, hoc conſtanter Ejus Sanctitas affirmet, non ſolum ſe ut amicum, & confœderatum, ſed ut patrem filiis cum illis eſſe conjunctum, &, ſi pater in filii caſſimi ſalute procuranda negligens, aut parcens impenſis eſſe poteſt, ſe tamen in iis filiis talem eſſe non poſſe, neque ullum patrimonium in Eccleſia, quod ad ſuum uſum, vel aliorum Eccleſiaſticorum malit converti, quam Illuſtriſſimorum Dominorum Venetorum uſus in tali cauſa, & tempore. Qua in re illis, quorum maxime intereſt, abunde ſatisfacturum promittit. Quæ omnia ut ad te ſcriberem, in mandatis Sua Sanctitas mihi dedit, cui ſuam, quam a Chriſto accepit, benedictionem cum oſculo charitatis mittit. Reliqua, quæ pro tempore hic expedire poſſet, ut de re frumentaria quod poſtulaſti, ſtatim Ejus Sanctitas negotium ſuis dedit, ut tibi ſatisfieret. Hæc autem omnia tibi jucunda eſſe non dubito, quæ non ſolum te invitant, ut forti animo in Chriſti cauſa milites, ſed fortiori etiam, ſi fieri poteſt, orationes pro ejus Vicario fundas, ut quam diutiſſime ad Chriſti honorem, & Eccleſiæ utilitatem ſua conſilia dirigentem nobis incolumem ſervet.

Huc adeſte PAULI III. laudum obtrectatores omnes,

nes, initoque inter vos consilio, quid ad hæc regerere debeatis, expendite. Una, si me auditis, qua vos expediatis, via supereſt, affirmando scilicet, fictas tantum fabellas de habito coram Pontifice Conventu illo Polum retuliſſe, aut, si vera narravit, habitum ipsum fuiſſe dumtaxat, ut, scenica persona tam a Pontifice, quam a tribus illis Cardinalibus sumpta, ludus oculis eorum omnium, quibus Resp. vere cordi erat, præberetur. Comœdiæ actus pari ratione ab iisdem censendus erit collocutio illa, quam in Epistola ad Polum narrat Contarenus se habuisse cum Paulo III. de negotio ad Curiæ Romanæ Reformationem spectante: *In via* (inquit) *compellavit me seorsim Optimus hic Senex Noster, soluſque cum solo sermonem instituit de Reformatione Compositionum, & dixit, se detuliſſe secum, atque legiſſe antelucanis horis tractatulum quendam, quem conscripsi* (*de ea re nihil tibi hactenus dixi, quia fere desperaveram, putabamque fore celandum potius, quam prodendum quidquid actum fuerat*) *plurimaque Christiane mecum disseruit, quo effectum est, ut iterum conceperim magnam spem aliquid Deum boni acturum, neque portas inferi prævalituras esse contra Domini spiritum. Hæc ut quam celerrime scires, cupio, ac Deum ores, ut cœpta a se dirigat, ac perficiat.* Fabulam denique (ut cætera omittam) in Gallica

Ni-

Niciæ Urbe PAULUM Pontificem peregiſſe dicent, Actoribus, præter ipſum, Cardinalibus, qui cum eo aderant, pariterque Carolo Cæſare, & Franciſco Galliarum Rege.

Nicienſem Conventum iſtum convocandum curavit PAULUS III. quo Pontifice nullus certe magis idoneus *hortator pacis, & compoſitionis publicæ*, ut pluribus eum locis vocat Sadoletus, quod ſe nullis factionum præmiis contaminari, aut nulla cupiditate extraordinaria tranſverſum agi, neque ferri pateretur, qui patrem ſe omnibus communem præberet, qui nullas partes diſſentientium ſequeretur. Eum igitur Carolo Cæſari, & Franciſco Regi propoſuit, adfuturus & ipſe cum iiſdem, ut cum utroque de ſtatu Chriſtianæ Reip. colloqueretur. Antequam vero ipſe itineri illi ſe daret, Polus, qui eundem in eo ſequi debebat, ferme in procinctu conſtitutus, alteram ad Camillum Epiſtolam dedit, in qua de literis ab hoc ad Regem Chriſtianiſſimum exaratis verba faciens, haud diſſimulat ſe vereri, ut earundem, ceu ſolis, ſplendorem ferre poſſent, qui in tenebroſa valle habitant, ubi ſunt domicilia hominum, & Principum hujus mundi, ac proinde ei ſuadet, ut, ad eos ſcribendo, ſtellæ potius lumen, ægris ſcilicet oculis magis accommodatum, diffundere conaretur, quo illi illuſtrati, Chriſtum inter animalia pannis involu-

tum

tum aſpicere valeant, qui non poſſunt eum exaltatum contemplari. Id, inquam, poſtquam Camillo ſuaſiſſet, Epiſtolam ita claudit: *Ego quidem harum tabellarius eſſe maxime cuperem, qua in re eam mihi occaſionem Chriſtus præſtat, quod Vicarium Chriſti hoc tempore comitor, qui, ut iſtis Principibus pacem evangelizet, proficiſcitur. Tu ergo interim cogita quid tibi Chriſtus permittat. Hoc vero permitteret, ut ex curru illo tuo igneo ignitam ad Deum orationem pro iſtis Principibus profundas, ut ad gloriam nominis ſui Filii, & ejus Vicarii filios pacis, ad quos eſt miſſus, inveniat, & ſuper eos pax Chriſti, quæ exſuperat omnem ſenſum, requieſcat.* Iter iſtud PAULI III. quod Deus ſtatutis inter ambos Principes decem annorum induciis fortunavit, nihilominus obtrectatoribus ejus Pontificis in invidiam trahere collibitum de more eſt, atque ad augendam familiam ejus novis ornamentis unice ſuſceptum fuiſſe criminari. Quare P. Franciſcus Courayerus in Opere ſuperius memorato, ad Sarpii verba iſta: *Le prétext public étoit de rétablir la paix entre ces deux Princes, mais ſa fin principale étoit de faire tomber le Duché de Milan dans ſa Maiſon*, nos monet, Jo. Baptiſtam Adrianum, Hiſtoricum coævum, & Onuphrium Panvinium, fidei integræ Scriptorem, Sarpii ſuſpicionem confirmare, atque ita notam il-

lam

lam ſuam concludit: *Sur de pareils garants eſt ce un ſi grand crime a* Fra Paolo *d'avoir avancé un tel fait; & croit on qu'un argument negatif, tel que celui que lui oppoſe* Pallavicin, *& qui même eſt convaincu de faux par la depoſition des Hiſtoriens ſuffiſe pour anéantir le poids de ces témoignages?* Pallavicinum Sarpii narrationi nil aliud quam argumentum inficiale oppoſuiſſe, impudentiſſime a Courayero affirmari, nemo inficietur, qui Pallavicinum adeat, ubi agit de Pauli itinere illo, ſcilicet lib. IV. cap. 6. Ait quidem iſte, nihil in ejus temporis reconditioribus memoriis ſe reperiſſe, quod vel unica linea cupiditatem potiundi Ducatus Mediolanenſis, qua Pontifex arderet, ſignificet; at inſuper Nicolai Theupoli, Veneti ad Conventum illum Oratoris, Relationem de eodem laudat, & plura ex ea depromit, aperte comprobantia ſinceram, paternam, & Chriſtianam Pontificis curam in pacis inter eos Principes negotio curando, cujus gratia, & itineris illius incommoda, & manſionis in Cœnobio prope Nicæam anguſtias valetudinarius, & longævus ſenex tolerare coactus fuerit; hæc, inquam, omnia quum Courayerus in Pallavicini Hiſtoria legiſſet, valde admirandum eſt, non aliam ipſis ineſſe vim cenſuiſſe, quam quæ ex argumento inficiali proficiſceretur. Hæc ego attuli adverſus Courayerum in Diatriba altera, & ibi

pariter eidem oppoſui celebratiſſimi Hiſtoriæ Venetæ Scriptoris, Andreæ Mauroceni, authoritatem, de qua altum ſilentium apud Sarpium, & Courayerum, imo & apud ipſum Pallavicinum. Nihil tamen diſertius ad demonſtrandam animi Pontificis in eo Conventu optimam propenſionem, ad publicum ſcilicet bonum ſpectantem, quam verba a Mauroceno uſurpata, PAULUS *Pontifex vel ſuopte ingenio, vel Pontificio munere totus in Remp. Chriſtianam incenſus erat*, & illa etiam, *Pontifex interim adhortationibus modo hunc, modo illum orare* (utrumque ſcilicet Principem) *ſuadere, ne privatarum rerum rationibus periclitatem Chriſtianam Remp. proderent*; atque alia præterea plura, quæ legi poſſunt in ea Mauroceni narratione. Non diſſimulat quidem Hiſtoricus iſte, in eo Conventu magnum certe domeſticis rebus ejuſdem incrementum, ac decus acceſſiſſe, Novaria urbe Petro Aloyſio Farneſio dono data a Cæſare, hujuſque filia Octavio Farneſio deſponſa; at ſubdit, id factum a Cæſare, quod hac ratione res Italicas confirmaturum ſe arbitraretur.

Memoratus in poſtremis iſtis Mauroceni verbis nuptiarum inter Octavium PAULI III. Nepotem, & Margheritam Caroli Cæſaris filiam, contractus me monet, ut præſtitam in Cap. II. fidem modo liberem, oſtendens ſcilicet, eaſdem non infeſtis

ſis oculis, quod paſſim fit, contuendas eſſe, ſed quibus enatam ex illis ſobolem aſpexiſſe comperitur Sadoletus. Quos iſte de hac protulit ſenſus, ad PAULUM III. ſcribens, eo libentius repræſentabo, quod validi umbonis inſtar ſint ad ictus omnes repellendos, quibus Sanctiſſimi Pontificis memoriam ob genus ſuum, ſummorum Principum prærogativis decoratum, impetere in more habent homines bene multi, ſeu ex malevolentia, qua aditus omnes ſibi parant ad infuſcanda Romanorum Pontificum ſplendida quævis geſta, ſeu etiam ex religionis quidem zelo, ſed cum quadam judicii aſperitate conjuncto, quam certe ſectari vix licere reor, ubi ſanctiſſimorum, conſultiſſimorumque veteris ætatis Catonum placitis, atque auctoritati refragetur. Hujuſmodi habendum eſſe Sadoletum nemo profecto in dubium revocabit. Hic igitur in Epiſtola ad PAULUM Pontificem ita loquitur: *Cum multa ſint indicia divinæ erga Sanctitatem Tuam beneficentiæ, ſummæque liberalitatis, tum nullum eſt præſtantius, quam quod eodem dono nunc Deus propagationem familiæ Tuæ, & publicam pacem ac tranquillitatem eſt complexus. Geminis enim pronepotibus ex ſummi Imperatoris filia, & nepote Tuo in lucem nobis editis, addidit ille quidem decus generi, ornamentum familiæ, ſubſidium nomini, cujus recens hic partus perpetuita-*

tem quandam denuntiat: ſed in tanto privato S.T. commodo, illa etiam major in ipſius animo lætitia inſidet, quod omnibus jam ſuſpicionibus penitus eliſis, quæ nos ſollicitos aliquandiu habuerunt, communi Italiæ paci & otio a Deo eſt conſultum. Duorum enim maximorum Principum ſanguine in unum genus, unamque prolem derivato, atque conflato, animos quoque eorundem in unum ſenſum confluere neceſſe eſt. Qui ſenſus, ſi T. S. conſilia valebunt, ſicut certe valitura ſunt, ad tranquillitatem publicam, ad quietem Italiæ, ad conſervationem pacis, cujus ipſa tutrix ſemper fuit, ſine dubio ſpectabit. Hoc ipſum argumentum pluribus poſtea proſequitur, eo ſemper ſpectans, ut privatum illud Pontificis gaudium cum publicis utilitatibus arcto vinculo connexum eſſe demonſtret. *Etenim* (inquit) *habet obſides jam Reſp. duos duorum præſtantiſſimorum Principum liberos, qui utramque nobilitatem in unum genus jungunt, qui ſpondent, pollicenturque nobis omnibus immotam pacem, ſecurum otium, animorum concordiam Romæ, & in Italia fore: quibus muneribus nullum nobis a Deo, in hoc præſertim tempore, accidere poteſt optatius.* Ad hos Sadoleti ſenſus reſpiciant, pervelim, juſti rerum æſtimatores, indeque nefas putent in judicando de PAULI III. geſtis ab eo modo recedere, quem, nunquam ſatis laudati, religionis Antiſtites olim tenuiſſe dignoſcuntur.

Su

Supereſt, ut de PAULI III. itineribus ob publicas cauſas ſuſceptis aliquid dicamus; quam ad rem aptiſſimi erunt unus & alter locus, qui in quinta Ludovici Senſi Concione, ſuperius memorata leguntur. *Hunc* (inquit) *cernimus, ut in gratiam eos* (Principes) *reducat, omnia tentare, omnia moliri, in omnia ſe ſe vertere, non ſumptibus, non laboribus, non ſuæ denique vitæ parcere. Quot itinera jam ſex & ſeptuaginta annos natus confecit? Quot ob eam ipſam cauſam confecere Nepotes ſui? Quot terrarum tractus per imbres, per æſtus, per frigora emenſus eſt?... tantum ut aliquem diſcordiis finem ſtatuat, & gregem creditum a ſæviſſimorum hoſtium armis ſecurum reddat.* Poſtea dolens quorundam Pontificum morem, ac vitæ rationem, *qui Romæ fere deſidentes, quæ a ſubjectis populis agerentur nonniſi per Miniſtrorum literas cognoſcebant*, unde graviſſima incommoda ferre cogerentur omnes provinciæ, ita ſubdit: *At Divus* PAULUS *III.* (inquit) *memor ſe a Deo Maximum Epiſcopum conſtitutum, quæ vox Græca ſpeculantem, ac viſitantem ſonat, ut fideliter munus comiſſum expleat, ſingulas civitates, & ſingula propemodum caſtella, ſingulos vicos ſemel, &, cum uſus poſtulat, iterum, ſæpiuſque viſens, nunquam ſe ſiſtit.* Felices populos, quibus hujuſmodi Principes imperitant!

CA-

CAPUT V.

De PAULI *III. induſtria in S. R. E. Cardinalium delectu, & in adhibendis inter ipſos ætate, ac virtute provectioribus ad Legationes ultra montes pro graviſſimis Eccleſiæ negotiis.*

NIHIL in utraque Diatriba mea frequentius occurrit, quam occaſio divinam PAULI III. ſapientiam ad cœlum tollendi ob Viros doctrinæ, & morum ornamentis florentiſſimos, quos, evocatos, rogatos, in ampliſſimum Cardinalium Ordinem ex omnibus orbis terrarum locis adſcivit. Hæc profecto una res eſt, quæ, etſi reliqua omnia ad commendationem ejus Pontificis defuiſſent (ea tamen abundarunt) ſatis per ſe demonſtraret, nihil eidem antiquius fuiſſe, quam in veterem ſuam dignitatem Romanam Eccleſiam triſtiſſimis temporibus vindicare; eo enim dumtaxat egregium ejuſdem in iis cooptationibus ſtudium collimare potuiſſe, nemo prorſus erit, qui in dubium valeat revocare. Hujuſcemodi laudem abunde propterea in PAULUM III. contuliſſe comperimus ejus ætatis Scriptores pleroſque omnes, una fere voce teſtantes, nihil factum fuiſſe poſt hominum memoriam vel ad gloriam Pontificum illuſtrius, vel ad religionem ex tot incommodis revocandam aptius, ac

ſa-

ſapientius, vel ad augendam Collegii Cardinalium dignitatem opportunius, quam quod Comitiis illis, præſtantiſſimi homines, & ipſi, quandoque ad novum prorſus vivendi genus translati, firmandæ, ac conſtituendæ ChriſtianæReip. præficerentur. Quare nəmo miretur, me ingenue fateri, in pertractanda prima hujus Capitis parte, inopem quodammodo, ut dici ſolet, ab ipſa copia factum eſſe, eorum Scriptorum teſtimoniis adeo multis, adeo certatim ſe mihi offerentibus, ut ancipitem animum meum redderent ad dignoſcendum, quænam ex ipſis expediret hoc loco recenſere, & quænam prætermittere. At tandem id conſilii cepi, ut unum tantum ex prima Diatriba, & æque unum ex altera huc afferrem teſtem. Id tamen antequam exſequar, ſua laude minime fraudandum reor Gaſparem Contarenum, quod ejus præſertim auxilio, & ſtudio egregium illud PAULI III. facinus debeatur. Propterea Coſmus Gherius, ſanctiſſimus ille Fanenſium Epiſcopus, Epiſtola, quæ extat inter illas Claror. Viror. eundem Contarenum his verbis alloquitur: *Univerſam Eccleſiam majorem in modum tibi devinxiſti, eique juſtiſſimam lætitiæ cauſam attuliſti: quis enim recte ſentiens, ex Theatini, Sadoleti, Poli ſumma dignitate ſumme non lætetur? Ego vero non dubitabam, neque dubitari intelligebam, quin tuo maxime auxilio, ac ſtudio, florentiſſimi, ac ſanctiſſimi ætatis*

tis noſtræ homines in ampliſſimum Collegium cooptati eſſent. Quamobrem gratulor tibi primum, quod ex Cardinalatus tui quaſi ſemente, eam Cardinalium tui ſimilium frugem Deus colligere velle videatur &c. Inſigne autem operæ illius argumentum nobis exhibet ejuſdem Vita a Ludovico Beccatello, Præſule Bononienſi, Italico idiomate conſcripta, & inter Codices MSS. Vaticanos adſervata. In ea enim ita ſcriptum reperio: *D'aver uſato ſpeſſe volte di dire a S. Santità il Cardinale Contarini, che ſe S. Sant. voleva far bella la Chieſa, non accadeva più ſcriver leggi, che aſſai già ne erano fatte, ma che faceſſe dei libri vivi, i quai quelle leggi faceſſero parlare, e render frutto, & queſto era fare Cardinali, & Veſcovi, che haveſſero il timore di Dio, & fuſſero dotti.* Monitum hoc præclariſſimum, ac ſaluberrimum, quod Præſul ille, Apoſtolicæ Sedis adminiſter (nam Venetam Legationem obivit) literis mandandum ad poſteritatis memoriam putavit, quiſnam erit qui digniſſimum non putet, quod in auro cæletur una cum aliis ſacri illius Catonis, quo nomine Contarenum a Pallavicino inſignitum vidimus, ſapientiſſimis dictis?

Teſtis modo afferendus ex prima Diatriba, Joannes Caſa, Archiepiſcopus Beneventanus, Pontificius & ipſe in Venetiarum Urbe Legatus. Hic in ejuſdem Contareni Vita, quam Latine exaravit, agens ibi-

ibidem de illo ad Cardinalatum evecto, hæc habet: *Non eadem conditione eſt Collegium Cardinalium, ceterarumque civitatum ſenatus, aut conſilium: nam illæ ex ea, quam habent, civium copia in ſuos ſenatus, qui aptiſſimi viſi ſint, legunt; in Collegium Cardinalium e toto Orbe terrarum, qui aut doctrina, aut nobilitate, aut prudentia, aut probitate, religione, pietate excellunt, ſi Pontifici Maximo viſum ſit, eos cooptare licet; eoque factum eſt, ut ſumma is Ordo amplitudine, ſumma auctoritate, ſummo ſplendore, omni ille quidem tempore fuerit, quippe e Chriſtianorum flore decerptus, atque collectus. Verumtamen iis, de quibus inſtitutus mihi ſermo eſt, temporibus, præcipuum quoddam in eo lumen enituit; propterea quod* PAULUS *Pontif. Max. magni, atque acris judicii Vir, eximia, ſingularique virtute homines nactus, ad eam illos dignitatem ultro ipſe evocaverat, ut ei Collegio, quod per ſe antea eſſet clariſſimum, ea re lucis tamen permultum attuliſſe videretur.* Idem Caſa novum de eadem re teſtimonium profert in Vita Petri Bembi, ubi ita loquitur: *PAULUS III. ſimul ac Pontifex Maximus factus eſt, extemplo tanto imperio ac poteſtate accepta, ut initium rerum, actionumque ſuarum ab illuſtri aliqua laude duceret, faciendum ſibi eſſe exiſtimavit, ut, qui quaque in civitate, quibuſque in ter-*

ris homines eſſent, illuſtri quadam aut pietatis, aut prudentiæ, aut doctrinæ laude celebrati, illos ultro ipſe, eam dignitatem haudquaquam petentes, ac ne tale quidem quicquam ſuſpicatos, ampliſſimum in Cardinalium Collegium cooptaret; ea re ſperabat, cum Pontificatus Collegiique, tot clariſſimorum hominum acceſſione facta, auctum iri majeſtatem, tum ſpecimen ſe quoque ſuæ virtutis maximum cum dediſſet, magnam de ſe famam, opinionemque eſſe facturum. Itaque ſemel atque iterum magna cura, magna adhibita diligentia, ſummos viros perveſtigavit, atque delegit; quibus graviſſimam illam dignitatem, nimio a pleriſque opere ſæpe fruſtra ac nequicquam expetitam, ultro mandaret; quo facto, opinione majorem eſt gloriam conſequutus.

Locum autem ex altera Diatriba recitandum, placet, depromere ex Petri Aretini ad PAULUM III. Epiſtola, nam laudem, quam in Cardinalium delectu ſibi PAULUS III. conciliavit, ea probat, adeo indubiam, adeo perſpicuam fuiſſe, ut vel praviſſimæ linguæ homo adactus fuerit ipſam pleniori ſuffragio proſequi, & confirmare. Ex Petro Bembo ſacra Purpura donato occaſionem capit Aretinus PAULO III. in Epiſtola ad eum ſcripta delectum illum his verbis gratulandi: *Gli altri Paſtori creano Cardinali Reverendiſſimi, & voi create Vicari*

di

di Chriſto, e ciò verificarebbe il lungo andare, caſo che viveſſero ſecondo il dovere delle virtù loro, & il biſognio della fede noſtra. Veramente ſi come eſſi non potevano naſcere in tempo piu opportuno, ne a i giorni di miglior Papa; coſi voi non potevate diſpenſare le degnità ſacroſante in piu neceſſaria occaſione, ne in piu giuſte creature, & è chiaro, che l'hereſia gravida del ſeme ſparto dalla malitia Lutberana, o che diſperderà il concilio, e che le dottrine di tali lo annullaranno, partorendolo. Intanto Italia, Spagnia, e Francia, da che havete ſaputo fare del Collegio di Pietro il Bembo, &c. Quotquot igitur PAULI III. geſta invidia onerare contendunt, noverint, eam ſibi ipſis laudem adſciſcere, ut longo intervallo malignitatem hominis, cujus lingua parem in nocendo certe non habuit, quique propterea Principum flagelli proprium veluti nomen ſibi promeruit, exſuperare comperiantur.

Paucis hiſce de prima hujus Capitis parte in medium allatis, progredior modo ad ea, quæ pars altera ejuſdem depoſcit. Ultramontanas Legationes pro graviſſimis Catholicæ religionis negotiis penſum fuiſſe, quo non aliud frequentius PAULUS III. Cardinalibus eximia doctrina præditis imponere in more haberet, facile quivis intelligat ex demandato eo munere ſemel, iterumque intra triennium Cardinali Polo, ut fidem faciunt quam-

plures hujus Epiſtolæ, in altero Collectionis noſtræ Volumine exhibitæ; quæ præterea probant, Polum Reip. juvandæ ardore incenſum parvifeciſſe longorum itinerum incommoda omnia, ab ipſo moleſtioribus præſertim anni tempeſtatibus devoranda. Belgicam Legationem obiturus Roma exceſſit ineunte menſe Februario an. 1537. primiſque itineris diebus, quo affectus fuerit incommodo, enarrat ipſemet in Epiſtola ad Contarenum, Bononiæ data, poſtremo ejus menſis die: *Negare non poſſum, me primis illis diebus, quibus iter ſum ingreſſus, valde afflictum fuiſſe, quod prope neceſſe fuit, vel propter ſubitam illam mutationem a ſummo otio, & quiete ad laborem, & negotia, vel propter repentinam etiam una cum labore mutationem victus, & ejus generis, quod laborantibus non ita ſalubre eſt, deinde ventos, & apertum cœlum, cui me ab aliquot menſibus non aſſuefeceram: quæ mihi primum diſtillationes e capite aſſiduas, quæ pectus etiam occupabant, moverunt, non ſine febre, quam maxime nocte ſentiebam; tamen ſic nunc bis omnibus ſum liberatus, ut jam mihi robuſtus videar ad omnes labores itineris ſuſcipiendos, cui me nunc maxime præparo. Sed neque propter ſuperiores difficultates ullam diem intermiſi, poſtquam Roma diſceſſi, in quo non aliquantum viæ, & quantum per equos licebat,*

bat, confecerim. Hiſpana autem Legatio Polo ineunda fuit deſinente menſe Decembri an. 1538. & quamnam, iter illud ingrediens, tam viarum, quam temporis aſperitatem expertus fuerit, certiorem ipſe facit eundem Contarenum Epiſtola, quam ad ipſum dedit Bononiæ in feſto Epiphaniæ, eam his verbis exorſus: *Quantum* (inquit) *per aſperitatem viarum licuit, & tempus omnium aſperrimum propter maxima frigora, & altiſſimas nives, quibuſcum perpetuo a manſione primæ noctis in hunc uſque diem per totam viam luſtrari oportuit, nihil prorſus de celeritate conficiendi itineris eſt omiſſum, neque ullo unquam die penitus ab equitatione eſt ceſſatum. Quod ut facere poſſemus, perpetua ſerenitas temporis, quæ nos in hanc uſque Urbem eſt comitata, adjnvit, quæ, ſi vel in pluviam, vel in nivem ſe commutaſſet, non ſolum difficilem Apennini tranſitum, ſed prorſus ad aliquot dies propter altitudinem nivium inſuperabilem reddiſſet.* Subdit tamen: *Etſi nullo unquam tempore paſſus ſum tantam vim frigoris, quod tantopere corpus afficeret, quantum hoc tempore in Apennino, tamen nihil inde me magis invalidum factum ad labores ferendos ſentio, adeo ut ſi iter, & propter anni tempus, difficultatem viarum, & longitudinem multo difficillimum reſtet, tamen ut ſpero, iter durum vincet pietas, quam ſpem meam au-*

augent cum orationes multorum bonorum Virorum (quos ſcio in hoc officio mihi non defuturos) ut ab eo qui ſolus debiles fortes facit, idem pro me precibus impetrent, tum maxime Rm̃æ D. V. cui me perpetuo commendo.

Atque hæc quidem ſatis erunt ad præbendum ſpecimen ejus induſtriæ, quam Paulus III. navabat in Cardinalibus, præſertim a ſe delectis, ad laborioſas Legationes adhibendis. Celebriores profecto inter ipſas fuerunt, quas aliquo tempore poſt Poli illas geſſerunt Contarenus, Cervinus, Aleander, Sadoletus, Moronus, & quam multo ſerius in Anglia ipſe Polus obivit. Attamen iis omiſſis, aliquid tantum dicam de binis Legationibus, & maxime operoſis, quas Alexandro Cardinali Farneſio, octodecim tantum annos nato, intra quinquennium Opuſculo iſti meo præfinitum, commiſit Sanctiſſimus ejus Avus, in Hiſpaniam nimirum, & Belgium, *parum admodum præ Reip. caritate ſollicitus* (ait Senſus in ſæpe laudata Concione) *quod corpus illud adoleſcens, tenerumque adhuc, immenſa ea jactatione, cui ſæpe durati laboribus non ſufficiunt, labaſcere facile potuiſſet.* Legationem Hiſpanienſem Cardinalis Alexander ſuſcepit dimidio anno 1539. Romamque poſt tres menſes redux, eodem iterum munere functus eſt in Belgio ad Carolum Cæſarem, & in Gallia ad Franciſcum Regem. De illa loquitur

Bem-

Bembus in Epiſtola Famil. lib. 6. qua eidem gratulatur reditum ad ſuos non ſolum vegeto corpore, ſed etiam hilariori vultu, quam diſceſſerat, etſi eadem maximis anni caloribus, mutatis jumentis, functus fuiſſet. Ad eam ipſam refertur Flaminii Carmen, ex quo plures verſus Cap. II. recitavi, & cujus initium,

Dum puer aerias ſuperat Farneſius Alpes,
Et permutato currit anhelus equo &c.

Utramque vero complectuntur hi ejuſdem verſus:

Ades Quiritum
Alexander ocelle. Sat tuliſti
Dura frigora, ſat graves calores,
Et caſus varios periculorum.
Te vidit Tagus aurifer citatis
Equis currere, te rapacis unda
Rheni, te Liger, & Garumna vidit
Iratos properantem adire Reges,
Et componere bella, fœderumque
Leges dicere.

Tandem adnotabo, tanti ea ætate fieri conſueviſſe hujuſcemodi Legationes, in quibus Cardinales doctrina, & moribus præſtantes exercebantur, ut præ ſtrenua illa Reip. adminiſtratione, quotquot negotia a reliquis, qui Romæ interea ſubſiſterent, gererentur, non alio paſſim quam otii nomine nuncupari conſueverint. Urbanas occupationes nemini

forte

forte ex provectioribus Cardinalibus PAULUS Pontifex copiosius deferebat, quam Contareno; eas tamen laboris vacuas reputasse visus est Polus, dum cupiens ad restituendam in Germania rem religionis admodum proclinatam eundem ablegari, ita ipsi scribit: *In hac vero Germaniæ causa nunquam amor meus erga te, quem scio suum otium libenter amplecti, tantum apud me poterit, ut non multo magis pro mea erga Ecclesiam pietate optem, ut tu ad illud negotium te dignum, & idoneum maxime extrudaris*. At una simul adnotabo, otium, de quo hic loquitur Polus, tam Contarenum, quam eximios alios Cardinales, conscribendis ad Catholicæ causæ præsidium lucubrationibus insumere solitos fuisse, quos frigido acuminis genere Sfortia Pallavicinus dixisset, ut de Cardinali Guidone Bentivoleo scripsit, *aver' illustrato la Porpora con l' inchiostro*. Quam magno autem in pretio eosdem PAULUS Pontifex haberet, & præter ipsum, Senatus universus Apostolicus, documentum, etsi in re tenui, satis apertum attuli in Diatriba mea altera ex Sadoleti ad Polum Epistola, quæ memorat humanitatis officium illi præstitum a Collegis, & Contareno præsertim, dum pecunia, degentibus Romæ Cardinalibus attributa, extra Italiam morantem liberaliter donarunt, quod, licet absens, Scriptis suis de Romana Sede bene, & insigniter mereretur.

CA-

CAPUT VI.

De PAULI *III. benignitate in excipiendis S. R. E. Cardinalium ſeu precibus, ſeu conſiliis.*

LAUDEM, quam profecto ſingularem Capite proxime ſuperiori comparaſſe ſibi vidimus PAULUM III. in S. R. E. Cardinalium delectu, non alia ille ratione cumulatiorem efficere valuit, quam ſi reipſa comprobaret, eoſdem in Chriſtiana Rep. ſapienter adminiſtranda utiles admodum adjutores ſibi fuiſſe; quod certe palam declaravit ea facilitas, ea benignitas, quam hoc Capite collaudandam ſuſcipio. Statim autem dico ejuſdem patefaciendæ aditum PAULO patuiſſe in eo ipſo delectu, quem ſcilicet nonniſi antiquiorum, & ſapientiorum Cardinalium ſeu precibus, ſeu conſiliis fieri ab ipſo plerumque conſueviſſe, plura ejus temporis monumenta conteſtantur. Inter Sadoleti Epiſtolas extant nonnullæ ad eum Pontificem datæ, quibus unicum argumentum præbent illius obſecrationes pro hominibus optime meritis ad eam dignitatem evehendis. Eos ibi diſerte nominat, atque commendat, præfatus tamen, ſe haud latere, objici ſibi poſſe nimiam quandam audaciam, vel temeritatem, qui tantis de rebus cum maximo & ſuo, & omnium Princi-

pe, tam familiariter, & libere agat, cum Principe, cujus acre ingenium, ſummum acumen, admirabilem perſpicaciam, nihil ſit omnino quod fugiat, *Sed in hoc* (inquit) *illa ſumma, & prope incredibilis humanitas tua me conſolatur*. Paucos tantum ante menſes quum Purpuram Sadoletus accepiſſet, nulla interpoſita mora, nulliſque uſus circuitionibus, aperte, ut veritas ipſa, & fides ſua ferebat, his verbis Pontificem affatus eſt: *Incredibile eſt, Pater ſancte, quantum dolorem acceperim, quod ſummus, & doctiſſimus vir Hieronymus Aleander, Brunduſinus Archiepiſcopus, ab eo honore exciderit, ad quem ego vocatus ſum: quo adjutore, & ſocio, ambobuſque nobis, ut etiam apud Homerum eſt, ſtudio locoque conjunctis, alacris animo eram, planeque Deo fretus, confidebam, nos non modo apertos impetus hoſtium, ſed abſconditas etiam inſidias facile propulſaturos. Multa enim collecta ſunt in eo homine magna, atque præſtantia, quæ in ceteris ſingula vix inſunt, eaque omnia maxime & huic tempori, & huic cauſſæ neceſſaria*. Eximias Aleandri dotes poſtea recenſet, nimirum linguarum ſummam cognitionem, Conciliorum, rerumque, quæ ad eam rem pertineant, omnium memoriam, ſcientiamque admirabilem, uſum, atque conſuetudinem cum exteris nationibus, ac cum Germanica præſertim, in

qua

qua diu, acriter, & feliciter negotia Catholicæ fidei tractavit ; ac mox ſubdit, *Quo ergo tantum bonum a nobis rejectum eſt?* Et poſt pauca, *Doleo igitur, & vehementer doleo, quod Aleandrum comitem mihi fortuna inviderit. Nam cum in me aliquid fortaſſe inſit, quanquam exiguum id & tenue, attamen publicæ cauſſæ non inopportunum, id illo comite & adjutore amplius, & valentius certe erat futurum. Omnino ſemper conſilium tuum ſapiens, nihilque niſi ſumma ratione abs Te agi ſolet: mihi tamen & dolere, & timere neceſſe eſt, quod vereor, ne ſit non levis plaga publicæ cauſſæ injecta.* Tandem Deum teſtatur inſpectorem cordium, ſe hoc teſtimonium de illo Viro neque gratiæ dare, neque ulli cupiditati ſuæ, ſed unam ſibi veritatem, unam utilitatem publicam, unam rationem honoris & nominis, quod ſibi eximium, & memorabile Sanctitas Sua peperat, eſſe propoſitam. Quibus precibus exoratus Pontifex, nihil moratus eſt ad Aleandrum inter Cardinales cooptandum. Quare nil mirum, ſi paulo poſt, quum idem, pluribus Cardinalibus renunciatis, unum adhuc Venetum legendum ſibi reſervaſſet, aliis literis a Sadoleto obſecratus deprehenditur, ut locum illum contraderet Petro Bembo, clariſſimo Viro, & omni virtute, doctrina, eloquentiaque ornatiſſimo; qua re præſtita, *non tam*

quidem (inquit) *ſibi novam comparare gloriam præclari ſui in hominibus deligendis judicii , quam veterem , & jam partam confirmare* , eorum omnium judicio Sanctitas Sua cenſeretur , qui in toto orbe terrarum conjectos in hanc ipſam oculos haberent . Dedit has literas Sadoletus Nonis Januar. 1539. biniſque dumtaxat menſibus cum dimidio elapſis , novo ipſemet experimento comperit , humaniſſime PAULUM III. ſuis illis precibus annuiſſe . Tertiis igitur literis eundem Pontificem paribus votis precari ſibi fas eſſe putavit , dum ſcilicet fama nunciaret , quam primum ſuppletum iri Ordinem , in quem adlegere ſolita foret Sanctitas Sua optimos, ac doctiſſimos homines, ac de iis ita loquitur : *Atque hi ſoli omnino ſunt, qui fidem præſtant ſuam honoris ſui auctoribus; quique eos & in ipſis , & in poſteritate eorum , ſemper ſalvos , honeſtos , florenteſque eſſe cupiunt : ceteris (ut Sanctitas Tua animadvertere ſæpe potuit) qui non ex virtute , ſed ex ambitione lecti ſint, ſtudia , & actiones ſuas , non officio aut honeſtatis decore , ſed emolumenti compendio fere dirigentibus* . Quem autem iis literis Pontifici nominavit, is fuit Gregorius Corteſius , Abbas Benedictinus, quem in hunc modum commendat: *Nemo eſt profecto qui neſciat , quæcunque in magno , & bono ſacerdote poſtulanda ſint , omnia in eo excellenter*

in-

ineſſe, ingenium, conſilium, eloquentiam, doctrinam, & quæ bis quoque laudabiliora ſunt, quoniam Chriſtianis moribus ſunt propria, pietatem præterea, continentiam, religionem. Et huic Sadoleti voluntati ſuam rectiſſimam, ac benigniſſimam accommodare Pontifex minime renuens, Corteſio in ea, quæ proxime ſubſecuta eſt, Cardinalium cooptatione honorem illum volens, libenſque mandavit; eundemque haud multo poſt mandaſſe inſuper comperitur Hieronymo Capoferreo, Nicenſium Epiſcopo, & Thomæ Campegio, Epiſcopo Feltrenſi, quos ambos amplo teſtimonio idem Sadoletus exornaverat in literis ad eundem Pontificem, in quibus ita ſcribit: *Cum ergo proximis Cardinalium comitiis, quæ inſtare jam jamque, & prope adeſſe ſermonibus hominum circumfertur, ſit Sanctitati Tuæ locus, ſuam, quemadmodum conſuevit, liberalitatem, & beneficentiam in benemeritos exercendi, putavi ad meam fidem atque officium pertinere, duos Tibi commendare, quos Tibi ipſi non dubito eſſe probatiſſimos. Quod equidem facio, non illorum precibus efflagitatus, abſunt enim ambo a me longe gentium, meæque hujus cogitationis penitus ignari ſunt; ſed hoc officium atque operam, virtuti, & veritati, & amicitiæ ſponte tribuens.*

Neque vero in hujuſcemodi tantum officiis Cardinalium preces, & monita benigne PAULUS III. excici-

cipiebat, ſed & in aliis, quæ libere expoſita vix fieri poſſe videretur, quin a Pontifice cum aliqua animi offenſione acciperentur. Exemplum afferam ex eodem Sadoleto acerbe conquerente de gratiis, privilegiis, conceſſionibuſque, quibus, PAULO III. Pontifice, gaudebant Judæi, *Agam fortiter* (ait ipſe ad Cardinalem Alexandrum Farneſium ſcribens) *utarque libertate, quam tribuit mihi Deus: neque eum Principem, cui omnia debeo, cujus eximiam laudem virtutis, probitatis, ſapientiæ, ullis hominum ſermonibus infringi, aut imminui iniquiſſimo animo patior, falſis aſſentationibus in errorem inducam. Sed dicam aperte, ut ſe res habet. Qui poteſt videri amore religionis in ſuis provinciis Lutheranos perſequi, qui in eiſdem provinciis tantopere ſuſtinet Judæos? Suſtinet autem? Imo vero auget, condecorat, honeſtat?* Quam valde facerent ea privilegia ad evertendos Chriſtianos, poſtea exponit, quod quum feciſſet, ita ſubdit: *Hæc vos tandem quomodo ab his trans alpes nationibus accipi exiſtimatis, quarum in oculis, & in conſpectu poſita ſunt? Quæ nationes carent omnes hac Judæorum peſte, nec abominantur pejus quicquam, quam Judæorum nomen, quos tantopere vident iſtic in deliciis eſſe. In tantane defectione animorum omnium jam a nobis gentium (plane enim dico omnium, quod ego ita eſſe intelligo, vos haud ita*

ſen-

ſentitis, propterea quod auribus veſtris vulgo homines blandiuntur) in tantane, inquam, defectione omnium, & prope execratione auctoritatis eccleſiaſticæ, magno Reipublicæ præſidio futurum putatis, ſi ſic alueritis, ſic extuleritis Judæos? fideles autem, & pauperes populos veſtros ſic lacerari ab illis, & diripi neglexeritis? Porro in hæc loca (quod Tu tranſiens noſſe potuiſti) provinciæ maxime concurrunt, Italia, Hiſpania, Gallia, atque Anglia, e quibus qui hac iter faciunt homines, conſcios eos eſſe hujuſmodi querelarum, eaſque domum ad ſuos referre, ſane exiſtimationi veſtræ, & communi ſaluti non expedit. Æque dolenter, æque libere, æque fortiter alias de eodem argumento literas Sadoletus exaravit alteri Pontificis nepoti, videlicet Guidoni Aſcanio Sforţiæ. Sed quæ datæ extant ad utrumque ab eodem literæ, fidem faciunt, ea omnia a Pontifice, eorundem præſertim nepotum interventu, in meliorem partem ita accepta fuiſſe, *ut ſimus* (inquit ad Alexandrum Card. ſcribens) *omnia quæ voluimus, quæ ad horum fidelium populorum fortunas ac ſalutem potius, adverſus Judæorum improbitatem, ac fraudes tuendam, pertinebant, ipſius non ſolum æquitate, & iuſtitia, ſed ſumma etiam clementia & benignitate conſecuti,*

At non unius dumtaxat Sadoleti liberas voces per-

perhumaniter paſſus eſt Paulus Pontifex. Æque huic acceptam fuiſſe parem Contareni ingenuitatem nobis demonſtrant tradita ab iſto in binis Epiſtolis, quibus de poteſtate Pontificis in uſu Clavium, & compoſitionibus agit. Primæ poſtrema afferam verba, quæ hujuſmodi ſunt: *Neſcio quidnam fiat in compoſitionibus. Sed ſi ita fit, ut ſupra diximus, corrigendum eſt, vel, ſi non corrigitur, ſaltem non eſt fædanda hujus S. R. E. doctrina hujuſmodi poſitionibus obliquis. Si mores ſunt quopiam pacto obliqui, doctrina tamen perſeveret recta, neque veritatem Dei noſtris moribus, & conſuetudinibus accommodare velimus. Pater Sanctiſſime, ingreſſus es viam Chriſti, audacter age. Neque magno iſto tuo animo ullo pacto verearis, ſi ob correctionem hujus rei deſint Tibi ob diſtractionem bonorum Eccleſiæ factam a tuis prædeceſſoribus viginti, aut triginta millia nummorum aureorum ad ſuſtinendam vitam Pontificis. Quin facillime multis modis reſarcire hæc poſſis cum immortali tua, tuorumque omnium laude, ac ſempiterna memoria. Univerſa Chriſtiana Reſp. ſummum gaudium capiet, Te venerabitur, ut Deum alterum: nullumque Pontificum poſt Beatiſſimum Petrum Tibi præferendum ducent & noſtræ ætatis homines, & univerſa poſteritas. Hoc caſtigato, quod ad Te pertinet, cætera omnia erunt facillima. Deus po-*

teſt

teſt diriget greſſus tuos, & tuorum omnium. Familiæ tuæ protector erit, & ſuper omnia bona ſua, conſtituet Te, ut ipſe in Evangelio pollicetur ſervo fideli, quem conſtituit ſuper familiam ſuam. Dominus diu nobis ſervet Sanctitatem Tuam incolumem. In altera totus eſt Contarenus in redarguenda Juris peritorum quorundam ſententia, *Qui nimio quodam affectu ducti quidam juris periti ſtudent hanc Pontificis auctoritatem amplificare; adeo ut eorum quidam non vereantur dicere, voluntatem Pontificis regulam quamdam eſſe, qua ejus actiones dirigantur; neque in jure poſitivo conſtituendo, aut abrogando, aut etiam diſpenſando regulam quampiam Pontifici conſtituendam eſſe, præter ejus voluntatem, adeo ut omne hujuſmodi jus arbitrarium eſſe perſuadere nobis voluerint.* Quare ſubdit: *Id circo, Pater Sanctiſſime, cum ſim vocatus in partem ſollicitudinis publicæ, debeamque pro virili Majeſtatem hujus Sanctiſſimæ Sedis tueri, decrevi paucis complecti ea, quæ mihi videntur facere ad horum errorem manifeſtandum.* Claudit autem Epiſtolam his verbis: *Ut paucis ergo totam hanc rem claudamus. Habes, Beatiſſime Pater, ſummam a Chriſto poteſtatem in gubernando Chriſtiano populo. Hæc potentia rationis eſt. Det operam Sanctitas Tua, ut habeat ſummam illam, quantum fieri poteſt, potentiam*

BAYERISCHE STAATS- BIBLIOTHEK

& libertatem voluntatis, ut ſcilicet per divinam gratiam, tuumque nixum, non recedas a regula, ut ſupra diximus, neque Te vertas ad impotentiam voluntatis, quæ malum eligit, & ad ſervitutem, quæ ſervit peccato. Hæc etenim libertas, hæc potentia voluntatis, cum conjuncta fuerit poteſtati Pontificiæ a Chriſto Tibi traditæ, tunc eris potentiſſimus, tunc maxime liber, & totius Reip. Chriſtianæ vita, & ſic Te moderante, & gubernante cœleſte quoddam in terris vivendi genus exprimet.
PAULI III. in excipiendis Contareni hujuſcemodi monitis benignitatem ſingularem dignoſcimus ex ejuſdem Contareni ad Polum Epiſtola, ex Oſtiis Tiberinis data, unde innoteſcit, Pontificem in via, dum per mediam quandam planitiem ambularet, ſeorſum Contarenum compellaſſe, & ſolum cum ſolo de reformatione Compoſitionum ſermonem inſtituiſſe. *Et dixit* (en ejus Epiſtolæ verba) *ſe detuliſſe ſecum, atque legiſſe antelucanis horis tractatulum quendam, quem conſcripſi, plurimaque Chriſtiane mecum diſſeruit.* Contareni monitum de cura a Pontifice ſuſcipienda potius in ſanctis, doctiſque Epiſcopis, & Cardinalibus eligendis, quam in novis legibus condendis memoravimus Cap. proxime ſuperiori, quod apertiſſime demonſtrat, Contareno id valde ſapienter ſuadenti Pontificem ſapientiſſime auſcultaſſe.

Tan-

Tandem, quemadmodum Poli etiam consiliis faciles aures præbere PAULUS Pontifex in more haberet, declarant pleræque eæ omnes literæ, quibus suarum Legationum eventa ille describit, nam fidem faciunt, non alia in iisdem, etsi de gravissimis rebus ageretur, Pontificem statuere solitum fuisse, quam quæ ipsius Poli bona mens, atque religio facienda censuissent. Quam necessarium autem Polus existimaret, ut in consiliis dandis non prudentiæ lenocinio Cardinales ducerentur, sed Dei tantum causam spectarent, palam ipse edocuit, hæc de Contareno scribens in Epistola ad Priolum: *Sed quid Contareno hac in causa cum prudentiæ partibus? Non deerunt alii, qui has partes agant. Hæc vero non sunt tali tempore partes ejus. Dominus est pars ejus. Agant alii prudentiæ partes, agat ille suam, & cum Cæsar utraque audierit, tum faciat quod sibi in mentem Deus immiserit.*

Atque hic finem facio meæ isti lucubrationi, certo mihi persuadens, non alia magis ratione declarare potuisse PAULUM III. sincera a se fide omnem industriam collocatam fuisse in adhibenda Ecclesiæ morbis medicina, quam si artis hujus antistites, quos sibi maximo jam studio undique paraverat, secum libere & fortiter agere pateretur in eum modum, quem postremo hoc Capite descripsi. Fidem, justitiam, & religionem in iis primum

ad dignitates evehendis, deinde in excipiendis eorundem ſeu precibus, ſeu conſiliis, ſeu monitis, eum Pontificem ſpectaſſe, tot jam allatis a capite ad calcem hujus Opuſculi comprobantibus teſtimoniis unum adhuc adjungam ex Sadoleti ad Marcellum Cervinum Epiſtola: *Vides ipſe profecto* (*potuiſti enim iter faciens multa cognoſcere*) *quanta in invidia ſimus apud omnes, quam male quiſque de noſtris moribus ſentiat. Cui quidem incommodo remedium eſt opportuniſſimum, ſi præficiantur hi eccleſiarum adminiſtrationi, qui ad eas gerendas non cupiditatem quæſtus, nec popularem pompam & jactationem, ſed fidem, ſed juſtitiam, ſed religionem afferant. Quod quidem* PAULUS *Tertius Pontifex maxime omnium, quos ego noverim, Pontificum effecit. Eſt enim ſemper in cælum tollenda juſtiſſimis laudibus præſtantiſſimi Pontificis virtus & voluntas.* Tantæ vero PAULI III. laudi quo pacto nihil obfuerit Purpuræ honor binis nepotibus, tenera admodum ætate delatus ſub Ejus Pontificatus exordia, & aliquot poſt annos tertio nepoti, pariter adoleſcentulo, jam ſatis ſuperius explicavi, præſertim Cap. II. hujus Opuſculi. At quoniam video moroſos ejus facti reprehenſores adhuc non defuturos, qui cenſebunt operam me in eo argumento tractando luſiſſe, placet hoc loco iiſdem regerere par factum Pauli IV. qui licet ſummo jure agere in Eccleſiaſticis quibuſ-

vis

vis negotiis ſemper aſſuetus, attamen nactus inter Cardinales Robertum de Nobilibus, quem duodennem Julius III. ejus Avunculus eo honore decoraverat, adeo rem iſtam non exhorruit, ut vix inito Pontificatu, de illo novis honoribus augendo cogitaverit, cui proinde, etſi decimum quartum vitæ annum nondum attigiſſet, Vaticanæ Bibliothecæ Præfecturam detulit, *quæ* (Ciaconii verba uſurpabo) *doctioribus, & antiquioribus vulgo commendari ſolet; tantum potuit apud ſanctiſſimum ſapientiſſimumque Pontificem conſummata Roberti pietas, ut omnem ætatis defectum ſuppleret*. Id quod PAULI III. nepotum, dum Cardinalatum acceperunt, ætati defuit, abunde pariter ſuppleviſſe eorundem virtutes, quicumque in dubium revocaverit, is non de ejus tantum Pontificis perſpicacia, atque ſapientia male ſentiat, oportet, ſed de fide, de religione eorum omnium Cardinalium, quibus probantibus, imo efflagitantibus, adoleſcentulis illis tanti honoris inſignia PAULUS III. feſtinaſſe comperitur, ut certos nos reddit Romulus Amaſæus in funebri Ejuſdem Oratione, cujus Excerpta Appendicem, quæ ſtatim ſubſequitur, conficient.

FINIS OPUSCULI.

APPENDIX
EX ORATIONE ROMULI AMASÆI HABITA IN FUNERE PAULI III.

LIbello hoc ad umbilicum jam ferme perducto, meas ad manus pervenit Romuli Amasæi Oratio habita in funere PAULI III. hodie admodum rara, quippe quæ non comparet inter reliquas ejus Rhetoris, ann. 1564. Bononiæ impressas. Operæ pretium itaque facturus mihi videor, si plura ex ea hoc loco proferam, unde quæcumque in superioribus Capitibus digessi, nova luce illustrentur, eorumque fides magis magisque adstruatur. Etsi enim norim funebres Orationes ex eo esse Scriptionum genere, de quo Cicero in Bruto ita sentit, *his laudationibus rerum nostrarum historia est facta mendosior;* animadversione tamen dignum puto, in Romuli Oratione ista testes rerum in ea expositarum laudari S. R. E. Cardinales, ad quos eandem Romulus habuit, & rerum hujuscemodi, quarum commemoratio nullum profecto decus PAULI III. memoriæ, multum vero infamiæ Oratori adportasset, si earum falsitas idonea fuisset, quæ vel ipsorum Auditorum, in augusto Consessu locum tenentium, subita inficiatione refelleretur. In iis autem excerptis afferendis eum ipsum ordinem sectabor, quem prætulerunt Opusculi mei Capita, per quæ proinde decurram, postquam quæ faciunt ad exornandos PAULI III. Majores, quorum scilicet mentio nullum in Opusculo locum invenit, recitavero. Eos in hunc modum Romulus commendat: *Atqui non clari tantum in Farnesia gente* PAULI *Majores fuerunt, sed beati opibus, ac plurium oppidorum perpetua ditione potentes, neque Roma-*

no-

norum tantum Procerum nomine nobilitati, ſed ob res fortiter ac ſtrenue geſtas, in eos etiam, qui de rebus Italicis conſcripti ſunt, commentarios, atque annales magna cum laude relati. Nam ut abolitum jam fere vetuſtate magnum imaginum numerum præteream, fuit ex hac gente abhinc annos ferme CC. Petrus Farneſius, qui Imperator cum ſumma poteſtate juſtos exercitus ducens, in magna bellorum varietate inſignibus claruit victoriis: idemque cum Florentinorum copiis præeſſet, in Piſarum oppugnatione, confoſſo ab hoſtibus equo, mulo invectus, conſervata priſtina animi præſentia, per medias mœnium ruinas irrupit; conſecutaque mox ſuorum multitudine, ſubito impetu captam, & expugnatam urbem Florentinæ Reip. tradidit. Fuit paternus PAULI *Avus Ranutius, qui Eugenio IV. Pont. Max. periculoſiſſimis temporibus, ſciſſa in diverſas partes Rep. fortem, ac fidelem Reipveſtræ operam exercitus Imperator navavit, quique Alfonſi Neapolitanorum Regis exercitus ingenti cum gloria rexit. Non poſſum ſine impiæ quodammodo oblivionis nota Petrum Farneſium Ancaranium cognomento, clarum illum quidem in diverſo genere laudis, & ſumma nominis celebritate virum, prætermittere, qui cum lucu-*

lentas ſibi fortunas ex juris civilis interpretatione comparaſſet, domum, & prædia Bononiæ reliquit, unde literatæ juventutis Collegium, quod adhuc ex ipſius teſtamento ad Farneſiæ gentis tutelam pertinet, aleretur. Patre genitus eſt Petro Ludovico, ſpectata fide, atque officio in Romanam Remp. viro. Verum non minus clarum, aut illuſtre fuit maternum genus. Lectiſſima enim fœmina Joanna mater ejus e Cajetana fuit gente, non ſolum priſca, ſed etiam nobiliſſima. Ex ea certe Boni-

fa-

facium Octavum Pont. Max. fuisse constat, cujus multæ, ac præclaræ laudes literarum sunt monimentis mandatæ. PAULI igitur alterum genus Imperatorium, alterum Pontificium.

Aggredior nunc ad repetenda Opusculi mei Capita. Actum est in I. de PAULI III. in Latinis, Græcisque literis præstantia. Eximiam prorsus eam fuisse, pluribus Orationis suæ locis Romulus declarat. Et primo quidem: *Cum* (inquit) *ab ipsis prope incunabulis, & eximiæ indolis ac divini prope ingenii certissimum specimen daret, immensoque literarum amore flagraret, & domesticos exquisitæ eruditionis magistros habuit, & jam puber Pomponium Lætum, Romanæ tunc Academiæ principem, audivit assidue, & observatissime coluit. Tantos adolescentulus in optimarum artium studiis processus effecerat, ut, qui longo intervallo æquales omnes suos superasset, multo majoribus natu merito par esse videretur, cum clarissimorum in omni liberalium disciplinarum genere hominum fama allectus, Ficini, Policiani, Chalcondilæ, Lascaris, ad eos se Florentiam contulit. Quo tempore & cum Pico Mirandulano, admirabilis ingenii, & incredibilis doctrinæ adolescente, & cum Joanne Medice, qui Leo postea fuit X. cotidianus ei fuit usus, ac familiaritas, & suavissima in communibus maximarum artium studiis æmulatio. In Patriam inde reversus, cum Latinæ, Græcæque linguæ cognitione, atque iis omnibus disciplinis, e quibus constat pulcherrimus humanitatis orbis, omni prorsus ex parte esset perpolitus, ad publicos jam honores aggressus* &c. Alio verò loco, de iisdem PAULI studis hæc habet: *Quidquid successivi temporis e maximis poterat occupationibus eripere, id totum ad eos legendos & pervolu-*

lutandos Auctores conferebat, qui vel Græca, vel Latina oratione, quodvis divinæ, aut humanæ doctrinæ genus literarum monimentis mandassent; cujus rei maxime perspicua extant argumenta, sexcenta prope librorum volumina ipsius manu a primo ad postremum paginarum marginem politissime ac scientissime pernotata. Ex his ille fontibus dicendi, intelligendi, res maximas gerendi, præcepta hauriebat. Tandem prope Orationis finem, *Si Latine* (inquit) *loqueretur, apte quidem ad nostri temporis consuetudinem, atque accommodate dici omnia intelligebam; sed ita, ut neque purius, neque elegantius veteres illos Latinæ linguæ Auctores, qui sæculis eruditissimis floruerunt, locuturos fuisse putarem. Jam si Græcorum vel sententias, vel versus, quod in promptu illi erat maxime, pronunciaret, priscum Orationis Græcæ sonum, & plane Atticam vocum appellationem, mihi videbar agnoscere. Illum itaque cum audiebam, veniebat protinus in mentem, non cum iis tantum principibus viris, qui patrum memoria litterarum, atque eruditionis laude in Italia præstiterunt, comparari eum posse, Alfonso Neapolitanorum Rege, Laurentio Medice, Guidone Feltrio, Pico Mirandulano; sed tales tacita mecum cogitatione fuisse statuebam, vel Periclem illum Anaxagoræ auditorem, qui sapientia, atque eloquentia Athenienſium civitatem annos plurimos rexit, vel tam claros olim omni sapientiæ gloria apud Lacedæmonios Xenophontis Agesilaum, apud Thebanos Lysidis Tarentini præceptis Epaminondam extitisse. Quatuor ego Romanos principes & literarum exacta quadam cognitione eminuisse in veterum libris comperio, Cæsarem Dictatorem, C. Cæsarem Octavianum, Ælium Hadrianum, M. An-*

toninum, cognomento Philoſophum. His ego omnibus tam fuiſſe litteris parem, quam, quod dubitari non poteſt, morum probitate ac ſapientia anteiſſe PAULUM, *cenſeo, atque omnino, quod Tacito Imp. aliquando Curiam totam acclamaſſe legimus, ad* PAULI *tempora multo juſtius reſervari debuiſſe: Quis melius, quam literatus imperat?*

Capiti II. argumentum præbuit PAULI III. nepotum in ſacrum Cardinalium Collegium cooptatio. Hanc rogantibus, & efflagitantibus Cardinalibus, ac proinde potius eorum conſenſu & favore, quam Avi voluntate contigiſſe, Romulus in hunc modum teſtatur: *Quanta* (inquit) *in nepotibus quam liberaliſſime educandis, atque inſtituendis fuerit cura, atque diligentia, ex eo liquido conſtat, quod a præſtantiſſimis doctoribus, atque optimarum quarumque artium magiſtris, & puerorum mentes honeſtiſſimis moribus, ac præceptis ſine ulla indulgentia imbui, atque informari, & jam Adoleſcentium ingenia omni quæ Latina, Græcaque lingua literis mandata fuerit, vel intelligendi, vel dicendi facultate erudiri, inſtrui, atque expoliri voluerit; quod ipſemet & quid diſcerent, ſecum cum illos haberet, cotidie inſpiciebat, ad omniaque vitæ officia certis rationibus, atque exemplis, teneram eorum ætatem fingebat, atque informabat; & tum per ipſos præceptores, tum per alios graves, ac optimæ fidei viros, quandiu & Bononiæ, & Patavii fuerunt, quo ſtudiorum eos cauſa dimiſerat, an in officio manerent, ut certior fieret, ſedulo operam dabat. Certe rectiſſima inſtitutionis ſolertia ad præclaram Adoleſcentulorum indolem adiuncta effectum eſt, ut non Avi magis voluntate, quam ingenti veſtro conſenſu ac favore, præmaturæ virtutis præmiis fuerint decorati &c.* Re-

dit

dit iterum Romulus ad idem argumentum, antequam Orationem concludat, atque his utitur verbis: *Nepotes quidem suos, Alexandrum primum Farnesium, & Guidonem Ascanium Sfortiam, ex longo deinde intervallo Rhanutium Farnesium vix dum puberes vobis collegas dedit. Sed qua indole adolescentulos? quo ingenio? quam liberaliter, quam præclare instructos? quam supra omnem ætatis captum, cum multa rerum intelligentia, tum mirifica quadam communis sensus præditos excellentia? Et sane eos non modo vobis non recusantibus, sed rogantibus etiam, atque efflagitantibus dedit; & tam verecunde eos nominavit, ut facile apparuerit, vobis obsequentiorem multo, quam nepotes ornandi cupidiorem fuisse. Quid vero potuit aut a vobis amantius expeti, aut ab illo elegantius decerni? Fuit hoc vestræ erga* PAULUM *observantiæ perspicuum argumentum. Fuit ipsius erga vos fidei certissimum pignus, firmissimum mutuæ benevolentiæ vinculum. Et vero nunquam fuit quamobrem aut vos id expetisse, aut vestris ipsum precibus indulsisse pæniteret.* Unum ex PAULI nepotum præceptoribus fuisse Jo: Petrum Crassum, tradidi in Diatriba, eumque ex Ughellii fide Bononiensibus adscripsi; at modo adnoto, ejus patriam fuisse Coloniam in Diœcesi Vicentina, ut comprobat Jo: Baptista Sabbioni *Tom. XIV. Opusc. Scientif.* Transit postea Romulus ad laudandos tres alios PAULI nepotes. *Neque* (inquit) *hos modo, quos præter avitæ severitatis reverentiam, præter ingenii indolem, atque educationis rectissimam rationem, sanctior ista Purpura & vestri consessus verecundia, ab omni vitæ pravitate facile potuit absterrere, & in virtutum omnium offitio, ac veræ, solidæque gloriæ cursu continere, sed*

quid Octavius, quid Horatius Farneſii? quid Sfortia Sanctiflorius? Ab ipſa pene infantia, armis, & vitæ militaris conſuetudine aſſuefacti, quid unquam non prudenter, non moderate, non ut maxime Romanæ juventutis principes deceret, fecerunt? Ordines, exercituſque ita duxerunt, ita imperarunt, ut non ætati veniam, ſed factis prædicationem quæſierint. Priores duo, alter apud Cæſarem, apud Franciſcum Gallorum Regem alter, diu fuerunt; & in tanta quidem gratia, ut Octavium Cæſar non magis quod ei filiam nuptum dederit, lectiſſimam, & omni muliebri laude eminentiſſimam fæminam, Margaritam Auſtriam, ut generum diligat, quam virtutis ergo, non minus prope, quam Philippum Hiſpaniarum Regem, unicum filium ſuum, quem majeſtatis, & celſitatis cauſa nominavi, carum habeat, Horatium Henricus Rex Franciſci filius, cui filiam deſponderet, dignum duxerit &c.

Capite III. collaudavi PAULI IiI. æquitatem, atque ſapientiam in negotio Schiſmatis Anglicani per Henricum VIII invecti, tribus innixus rationibus, ſcilicet, quod execrationis Diploma ferme per quadriennium intra ſcrinia ſua continuerit, quod illud non publicaverit niſi poſt perſpectam Henrici Regis in humanis, diviniſque omnibus juribus violandis pertinaciam, ac tandem quod in eo negotio nihil ab Apoſtolica Sede tentandum putaverit, niſi collatis cum Carolo Cæſare, cum Franciſco Galliarum Rege, & cum Scotiæ Rege Jacobo conſiliis, quos omnes certiſſime conſtat aſſenſiſſe, ut diploma illud ſuis in ditionibus evulgaretur, ac publice affigeretur, deinde eoſdem, ne illud effectu careret, ſocia arma Pontifici multis pollicitationibus obtuliſſe, quin tamen ad effectum ipſæ perducerentur, unice ob mutuas

Ca-

Caroli, & Franciſci ſuſpiciones. Quoniam vero negotium illud Anglicanum indictum reliquit Romulus in ſua Oratione, placet locum ex ea excerpere, quo, in aliis negotiis conficiendis, juſti, moderatique imperii laudem tam apud populos, quam apud Principes PAULUM III. ſibi promeruiſſe, etiam ante initum Pontificatum, comprobatur. Eum ergo Romulus commendat, quod *pro Pontifice, Italiæ florentiſſimas Præfecturas ſcienter, & cum ſumma juriſdictionis æquitate rexerit, neque ſine ulla modo ſuſpitione eas, quibus præfuit, Civitates gubernarit, ſed juſti etiam, moderatique imperii eximiam laudem una univerſorum populorum voce reportarit, quem ſex deinceps Pontifices Max. virtutis, atque optimarum artium merito cariſſimum habuerint, quem ſui collegæ miſeris, & calamitoſis temporibus patrem, & patronum ſibi extitiſſe ſenſerint, quem ſalutis certe vindicem ſuæ Reſp. cognoverit, quem Clemens VII. & Carolus V. primo ſecundoque itidem congreſſu conjunctionis inter ipſos confirmatorem & ſequeſtrem, pacis conſtantiſſimum auctorem, pulcherrimarum actionum ſocium, atque adjutorem amantiſſime exoſculati fuerint &c.*

Capite IV. labores, longorum etiam itinerum, a PAULO III. ſenecta admodum ætate, ſuſceptos pro publicis utilitatibus curandis deſcripſimus. Eos ipſos non uno loco prædicat, atque extollit Romuli Oratio; nam de Nicienſi itinere hæc habet: *Reip. ductus caritate, & acerrimis Religionis tuendæ aculeis incitatus, omnem valetudinem, quin vitam potius ipſam cenſuit condonandam. Tulit vero longi, atque incommodi itineris optatiſſimum fructum. Perfecit enim cum rationum vi, tum mitiſſimæ orationis lenitate, & pertractandorum animorum peritia, ut*

pa-

pactis in annos decem induciis, tantas, ac tam certas inter se conjunctionis significationes illi Reges dederint, ut, qui ocium, ac tranquillitatem expeterent, illas verbo inducias, pacem re futuram augurarentur, & qui rerum essent novarum cupidiores ad novas jam artes turbandi, ac rescindendi omnia se investigandas compararent &c. Paulo vero post agens de PAULI III. sollicitudine pro confirmanda concordia, quam inter Principes illos constituerat, *Vicit igitur* (inquit) *omnem periculorum rationem perpetua erga commissos fidei suæ populos caritas, spei alacritas laborem minuit, religionis ardor, viæ & infensarum plerumque tempestatum incommoda omnia non patienter tantum, sed hilare etiam, & jucunde sustinuit. O virum prisca illa pietate, ac fide flagrantem! O memorandum omnibus gentibus ac sæculis pacis studium! Quo sane merito vix in priscis illis quidem Pontificibus, Lino, Cleto, Anacleto, Telesphoro, Urbano, Felice, Clemente, Marcellino, cæterisque, qui sanguine profuso, suam posteris in Christiana professione constantiam testatam reliquerunt, majus ullum potuerit prædicari.* Tandem Ejus Pontificis curam in Christiana Rep. a Turcarum insultibus tuenda collaudat; at potius quam Romuli de eo argumento verba recitem, juvat ex Poli ad Camillum Ursinum Epistola hoc quoque loco testimonium laudare, unde docemur, PAULUM III. semel ipsi Polo affirmasse, *nullum esse in Ecclesia patrimonium, quod ad suum usum, vel aliorum Ecclesiasticorum malit converti, quam ad Illustrissimorum Dominorum Venetorum usus in tali causa, & tempore*; bello scilicet Turcico ingruente.

Restant Capita V. & VI. pro quibus illustrandis brevem tantum ex Romuli Oratione dabimus locum,

quod

quod in PAULI III. geſtis nihil compertius ſit, quam quod iiſdem Capitibus pertractatur, ſummam ſcilicet ejus Pontificis laudem fuiſſe in Cardinalibus deligendis, & parem iſtorum in vitanda aſſentatione, quoties de juvanda Rep. ageretur: *Fuit* (inquit Romulus) *nobilitas, & natalium ſplendor requirendus? Regio multos genere illuſtres adlegit. Fuit virtuti, fuit vitæ dignitati bonos habendus? Ex omnibus Italiæ, ex omnibus Europæ partibus in veſtrum ultro conſeſſum accivit, atque invitavit, quibus vel ipſe jampridem judicaſſet, vel minime dubia fama attuliſſet, primas honeſtatis, primas diſciplinarum, atque optimarum artium laudes deberi. Fuit laboribus pro Rep. ſuſceptis gratia referenda? Multi in hunc Ordinem ſunt adſciti, qui ſtudia, qui fidem, qui fortunas, qui ætatem totam in magnis, & gravibus Reip. negociis, ac muneribus conſumpſiſſent, qui corpus manifeſtis difficillimorum, & inſidioſorum plerumque itinerum, longinquarumque Legationum periculis objeciſſent, qui vitam denique, caputque ſuum veſtræ, Patres, Curiæ devoviſſent, ac ſanguinem etiam, minime inviti, dum ejus ſalutem, & auctoritatem tuerentur, profundere parati fuiſſent.* Quare nil verius, quam quod fatetur vel Petrus ipſe Aretinus, nempe ut electi a PAULO III. Cardinales *non potevano naſcere in tempo più opportuno, ne a i giorni di miglior Papa*, ita PAULUS Pontifex *non poteva diſpenſare le dignità ſacroſante in più neceſſaria occaſione, ne in più giuſte creature*. Petri Aretini teſtimonium iſtud integrum recitavi p. 82. & 83. mei hujus Opuſculi.

FINIS APPENDICIS.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. Inquiſitor del S. Offizio di Breſcia, nel Libro intitolato: *De Geſtis Pauli III. Farneſii, &c.*, non v' eſſer coſa alcuna contro la S. Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo licenza a Gian-Maria Rizzardi Stampatore di Breſcia, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 22. Maggio 1745.

[*Gio: Emo Proc. Ref.*

[

[*Marco Foſcarini Cav. Proc. Rif.*

Regiſt. in libro a C. 6. al n. 41

Michiel Angelo Marino.

BAYERISCHE STAATS- BIBLIOTHEK MUENCHEN

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Querini, Angelo Maria,

Imago optimi sapientissimique pontificis expressa in gestis Pauli III Farnesii ad primos tantum quinque annos eius pontificatus spectantibus

Brixia 1745
4 H.eccl. 642 y
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10005447-3